






CONSIDERATIONES
PATHOLOGICO-SEMEIOTICÆ,

De omnibus humani corporis functionibus,

QUÆ per partes successivas sub Thesium formâ propositæ fuerunt per triennium Studii Medici in Universitate Bisuntinâ, Auctore ac Præside N. F. ROUGNON, Doctore Medico, in eâdem Universitate Professore Regio, Scientiarum Academiæ Bisuntinensis necnon Regiæ Societatis Medicæ Parisiorum Socio.

FASCICULUS I.



VESUNTIONE,
Typis J. F. COUCHÉ, Universitatis Regiæ Typographi.



M. DCC. LXXXVI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY


DILECTIS
IN ALMA ACADEMIA
ALUMNIS.

DUM curavi hanc Thesium Medicarum seriem redigere in fasciculos, servatis aliquot earum exemplaribus, minimè putavi commendabilem librum Orbi litterato additum iri; sed vos habituros esse lectionum mearum textum paulò exactiorem quàm in scriptis publicè dictatis, in quibus calamo exarandis nonnullum tempus teritur vocali explicationi utiliùs consecrandum. In hoc Opere conatus sum prima vobis tradere præcepta, quæ ad naturæ ordinem accommodatiora mihi viderentur, simul & Hippocratis sententiis ac observatis confirmata. Si erraverim, dicent Magistri; iisque lubens & gratus auscultando eximar à culpâ. Aliundè bonum est proprias Docentium opiniones argui, ut Tyrones ab errore avertantur. Si ad altiorem Medicinæ naturalis indaginem vos excitare valuerit noster in docendo labor, votorum plenè compos efficiar. Valete.

ERRATA.

Pag. 14	*lineâ* 30,	ſtatulenta, *lege* flatulenta.
17	25	inſignata, *lege* inſignita.
18	26,	eoſdem, *lege* eoſdemque.
32	4,	vel, *lege* ver.
81	29,	perennatæ, *lege* perennantes.
106	3,	*hæmoſtaſæ*, lege *hæmoſtaſiæ*.
122	3,	formoſitate, *lege* formoſitate.
130	30,	*hæc*, lege *hoc*.
181	17,	nutricibus, *lege* nutritiis.
227	15,	agnoſceret, *lege* agnoſcet.
230	3,	*criticous*, lege *criticus*.
231	25,	aph. 1°, *lege* aph. 10.
241	18,	ortuſuo, *lege* ortu ſuo.
247	20,	*inferioris*, lege *ſuperioris*.
287	8,	aph. 56, *lege* aph. 54.
290	7,	aph. 34, *lege* aph. 36.
302	15,	appareat, *lege* apparuit.
328	30,	inc, *lege* hinc.
331	29,	parcendo internæ, *lege* parcendo faciei internæ.


Cætera emendabit benevolus Lector.



CONSIDERATIONES

PATHOLOGICO-SEMEIOTICÆ,

DE OMNIBUS HUMANI CORPORIS FUNCTIONIBUS.



PROEMIUM.

ITA constitutum fuit humanum corpus, ut, mediante sensu & irritabilitate quibus pollet, quandiù vivit homo patefiant in illo phœnomena varia, varios ejus status designantia, quæ signorum nomine vocari solent à Medicis. Sic calor animalis est signum vitæ: sic dolor est signum alicujus irritationis, *&c.*

Dùm homo vivit, & præterea benè valet ac sanus est, signum huic statui proprium habetur in libero exercitio functionum, quæ dato individuo propriæ sunt. Sed, si homo vel levissimè ægrotaverit, id est, si una illius pars aut functio levissimè perturbetur, tunc apparet signum aliquod, proprium ad designandam turbam illam, quia illius est effectus naturalis. Quod signum, quàmvis reipsà sit quidpiam morbosi, non vocatur

nomine morbi, ob ſimplicitatem ſuam, ſed nomine ſymptomatis, quo generaliter intelligitur quodvis accidens ſimplex, contingens in aliquâ functione contrà tenorem illius. Ex. gr., dolor ſimplex in oculo eſt ſymptoma alicujus irritationis quæ huic parti infertur: quæ irritatio ſpectari quidem poteſt tanquàm aliquis morbus, ſed quæ ſolo nomine ſymptomatis appellanda eſt, propter mali illius ſimplicitatem.

Quandò verò aliqua pars, aut functio aliqua, graviorem experitur læſionem, cujus occaſione plura ſimul phœnomena ſeu ſymptomata turbatim accidant, propter varias hujus partis aut functionis relationes : ſtatus ille nequit ampliùs appellari nomine ſimplicis ſymptomatis; ſed vocari debet & eſt reipsâ *morbus formatus ;* id eſt, morbus compoſitus ex ſymptomatibus plurimis, quorum ſimultaneo concurſu formatur determinata quædam affectio morboſa notabilior. Sic peripneumonia eſt *morbus formatus*; nempè morbus in quo plura ſimul phœnomena conſtanter accidunt; ſcilicèt dolor lateris gravativus, reſpiratio difficilis, tuſſis moleſta, ſputum ſanguinolentum, febris acuta & pulſus mollis. His enim omnibus ſymptomatibus componitur & *formatur* peripneumonia; eaque ſymptomata ita fiunt, quia gravis adeſt determinata aliqua læſio pulmonum, quam eſſe inflammationem docuit obſervatio.

Sed quia dantur plurimi *morbi formati* valdè affines, quales ſunt, ex. gr., pleuritis & peripneumonia; & cùm valdè interſit unum diſtinguere ab altero, dividenda ſunt ſigna morborum formatorum in ſigna diagnoſtica, & in pathognomonica.

Diagnoſtica ſigna peripneumoniæ ſunt ea ſigna ſuperiùs relata, quorum omnium præſentiâ præcisè dignoſcitur peripneumoniam adeſſe; pathognomonica verò ea ſunt, quorum auxilio peripneumonia diſtinguitur ab aliquo alio formato

morbo, etiam valdè affini, qualis est pleuritis. Pathognomonica signa peripneumoniæ sunt 1°. dolor lateris gravativus, quia ille dolor è contrà pungitivus est in pleuritide. 2°. Sputum ab ipsis morbi initiis sanguinolentum, dùm illud sanguine duntaxat tingitur quartâ circiter die pleuritidis. 3°. Pulsus mollis, qui durus è contrà deprehenditur in pleuritide. Rarò datur signum unicum pathognomonicum. Ideòque, in morbis plerisque, loco signi unius pathognomonici, ipsam observamus syndromem pathognomonicam; id est, ipsam signorum omnium propriorum conjunctionem assiduam; veluti observari etiam liceret in ipsâmet peripneumoniâ, cujus nempè commemorata signa non alium morbum indicare possunt, præter peripneumoniam, si ea simul composita fuerint; dùm ea nequaquàm sunt signa peripneumoniæ, vel diagnostica, si per se singula spectentur, aut si plura eorum desint.

Cognitâ jam specie morbi per signa sua demonstrativa, adhuc interest distinguere à quânam causâ ille pendeat, utendo scilicèt signis illis quæ indicant causam morbi, tùm illis quæ saltem docent quid illa causa non sit. Ex: gr, ad hoc ut dignoscatur causa peripneumoniæ, utrùm nempè pendeat ab impacto in pulmonibus sanguine inflammatorio, vel ab infarctu pulmonum bilioso, aut atrabiliioso, aut pituitoso, aut alterius alicujus naturæ, v. g., arthriticæ, *&c.* : attendere oportet, 1°. ad signa quæ indicant constitutionem inflammatoriam, vel biliosam, vel atrabiliosam, vel pituitosam individui ægroti; 2°. ad ea omnia quæ designant constitutionem tempestatis anni; 3°. demùm ad signa quæ ostendunt accidentalem quamdam idiosyncrasiam, seu constitutionem, v. gr., arthriticam, *&c.*

Sed si signa diagnostica causæ fuerint obscura, ideòque difficilius sit statuere quænam præcisè causa produxerit morbum;

tunc quærendum quænam causa non sit. Porrò in casu peripneumoniæ suppositæ, jam primò indicaretur illius causam non esse biliosam, si fieret in individuo juniori, si in sene debili: tùm si per hiemem talis morbus inciderit, dummodò non detur tempestatis constitutio extraordinaria; pariter indicaretur causam peripneumoniæ non esse pituitosam, si morbus hic contigerit juveni robusto, si per æstatem acciderit, & sic de cæteris. Adde etiam, quòd simili in casu non negligenda sint signa *anamnestica*, seu commemorativa, quæ inter demonstrativa signa collocantur à multis Medicis. Nam horum signorum ope, præterita corporis constitutio memoriâ repetitur; indèque, cæteris paribus circumstantiis existentibus, sæpissimè subministratur cognitio haud spernenda.

Cognito nunc morbo, cognitâque causâ illius, superest futuros ejusdem eventus prævidere, & illud obtinetur mediantibus signis prognosticis. Talia signa desumenda veniunt ex intensitate causarum, tùm ex contrariis aut secundis circumstantiis, eaque triplicis sunt generis. Alia scilicèt dicuntur prognostica signa futuræ salutis, vel mortis: decretoria alia; quorum signorum fons uberrimus habetur in lucidâ observatione omnium symptomatum, factâ ad exemplum Hippocratis; minimè verò institutâ secundùm varias præjudicatas opiniones. Sed, irritâ attentiori observatione, sciendum est quòd *morborum acutorum non omninò tutæ sint prædictiones, neque salutis, neque mortis*, sicut monetur, aph. 19. sect. 2.

Haud aliter, ut nobis videtur, medicè ratiocinandum est de symptomatibus morborum, de morbis ipsismet, ut & de eorum causis. Vanum omninò, scholasticisque dumtaxat quisquiliis dig[illegible] est, adhærere longis commentationibus circà morbos s[illegible]s, organicosve; tùm circà morbos contingentes in figurâ,

numero, magnitudine, ſitu, ſuperficie, qualitatibus, *&c.* Nec aliundè, ut opinor, ducenda eſt illa quæ in operibus Pathologicis ac Semeïoticis plerùmque apparet futilis verborum inanium farrago, aut tædioſa puerilium dogmatum obſcuritas.

His ergò præmiſſis, nunc conſiderandum, quænam ſint ſigna ſanitatis & morborum, reſpectu functionum omnium corporis animati, per partes ſingulas ſpectatarum, eum ſequendo ordinem, qui nobis placuit in enarrandis humani corporis functionibus.

CONSIDERATIONES PATHOLOGICO-SEMEIOTICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De phyſicâ vitâ in ſe ſpectatâ.

PHYSICA vita, ſeu ſtatus ille corporis humani ſenſibilis & irritabilis, qui neceſſarius eſt ut mutuum commercium mentis & corporis duret quodammodò, aut ſaltem utcumque reſtitui queat, integer dignoſcitur ſequentibus ſignis. Nempè libero & æquali pulſu arteriarum, ſimul & illæsâ reſpiratione, illæſoque cerebro. His enim datur intelligere integram eſſe vitalem actionem cordis, pulmonumque & cerebri; adeòque concipitur ſanguinem & ſpiritus optimè fluere per organa illa, horumque arterias, venas, nervos: id eſt, integras eſſe phyſicas diſpoſitiones corporeas, in quibus phyſica vita conſiſtit, hancque proindè actu tutam eſſe. Undè Medicus ſimplici hoc criterio valet rimari altiora vitæ fundamenta, & audacter pronunciare de ſoliditate eorum; tandemque fit capax iis ſuſtinendis

aut reparandis tuta & congrua præſcribere media, ſi quædam labilia videantur.

Quoties enim accidit, ut ipſamet phyſica vita ſuas affectiones ſeu ſymptomata patiatur, imò & pertimeſcenda ſit ruina illius, magìs vel minùs proxima! haud raró ſiquidem obſervantur cordis palpitationes, aut intermiſſiones, aut variæ motûs ejus imminutiones, vel & accelerationes: nec raró contingit cor ipſum vulnerari. Quoties etiam fit ut vita in varium diſcrimen adducatur ex parte pulmonum! quandò ſcilicèt contingit aſthma, dyſpnœa, orthopnœa, vel & apnœa, & catharrus ſuffocans; his enim de cauſis turbatur aut penè ſupprimitur vitalis trajectio ſanguinis per pulmones.

Agemus de affectibus pertinentibus ad pulmones, ubi de reſpiratione. Hic dumtaxat indicabimus proprias ægritudines cordis, tùm ejus crepaturas & vulnera, incipiendo à vulneribus.

Præſumitur cor vulneratum eſſe, attendendo ad ſitum & penetrationem vulneris, contingente morte citatiſſimâ, ſcilicèt propter lethalem hæmorrhagiam ex cordis vulnere fluentem. Idem verò vulnus etiam præſumitur, ſed multò quidem levius, ſi in caſu vulneris in thoracem penetrantis & donati directione congruâ versùs cor, ſuperveniat ingens vitæ defectio, quæ valeat ſuſpendere hæmorrhagiam indè oriundam, imò & aliquandò feliciter favere cordis cicatrici. Non raró enim repertæ ſunt in corde cicatrices evidentes, necnon & quandòque repertum eſt cor vulneratum, in homine qui aliquandiù poſt vulnus inflictum ſupervixerat. Unde patet vulnera cordis non ſemper morte neceſſariâ terminari, quantùmvis talia vulnera perquàm periculoſa de facto cenſenda ſint.

Quidam credunt Hippocratem ſpectaſſe cordis vulnera tanquàm certò lethalia, eò quòd, lib. 1. de morbis, ſcripſerit

hominem mori vulnerato corde; tùm quia, aph. 18. sect. 6, vulnus cordis lethale declaravit. Quidquid verò sit de sententiâ illius in hanc rem, expressiùs scripsit Celsus, lib. 5. cap. 26. pag. 283. L. 18, *servari non posse, cui cor percussum est*: addendo ibid., nempè pag. 285. L. 27, *corde percusso maturam mortem sequi*. Cui opinioni assensus est Galenus, lib. 5. de locis affect., cap. 2, sed sub aliquâ conditione, quâ pensitatâ, videtur vulnera cordis meliùs ab illo æstimata fuisse, quàm à cæteris. Galenus equidem, loco citato, dixit *protinus hominem mori necesse esse*, vulnerato corde; sed posteà subjunxit, *aliquot non solùm eâ die quâ vulnerati sunt, sed sequenti quoque nocte vivere potuisse*.

Non solùm Galeni effatum istud verum est, sed & non admodùm rara sunt exempla hominum qui aliquandiù vixerunt vulnerato còrde, imò & qui persanati fuerunt. Videantur observata Morgagnii, ubi de sedibus & causis morborum, epistola 53. cap. 6, Senac, *traité du cœur*, *Liv.* 4. *ch.* 6. §. 1 & 2, tùm Vanswieten, commentaria in Boërrh. aph. 170. Quibus exemplis liceat mihi addere unam domesticam observationem, quæ hæc est. Labente hyeme 1782, vidi quemdam militem tormentis bellicis addictum, nomine Sainsoltz, è legione Tullensi, novos milites Vesuntione tunc conquirentem, qui obiit in nosocomio hujus urbis quartâ die morbi lateralis, & in quo sequentia observavimus. Nempè, tradito ejus cadavere ad faciendas injectiones in amphitheatro anatomico Universitatis Bisuntinæ, & aperto thorace ejus post refrigeratam ceram, reperta fuit in pericardio satis magna copia ceræ coloratæ, quæ per vulnus thalami dextri cordis fluxerat. Consideratis illicò tegumentis externis, visa fuit cicatrix recens in latere dextro, propè cartilagines mediarum costarum legitimarum; deindèque

factis variis inquisitionibus de vitâ hujus militis, sequentia didiscimus & comprobavimus. Eum nempè hominem, duobus anteà mensibus, gladio vulneratum fuisse, eumque posthàc languidum, tristem, & taciturnum mansisse in cubiculo communi per multos dies, ferè absquè cibo, & deindè ad munera consueta rediisse. Undè patuit quòd vulnus illud ventriculi dextri in hoc homine sanatum penitùs fuisset, nisi, superveniente febre acutâ pleuriticâ, cordis motus vividiores facti superavissent resistentiam cicatricis incœptæ, quâ indicabatur cordis vulnus quinque circiter lineas longum.

Quoad crepaturas cordis, sive contingant in uno thalamo, sive in altero, per ulcerationem exeso, aut aliquâ de causâ amplificato, attenuato, tandemque disrupto, mors illicò subsequitur; idemque eventus semper accidit, quandò vasa cordis coronaria, aliave præcordia ia majora similiter aperta fuerunt. Videantur observationes D. Morand, in actis Parisinis, anni 1732; quibus addenda est historia lugendi D. Levacher, mariti sororis prædicti D. Morand, cui, post subitaneam mortem, reperta fuerunt vasa cordis coronaria effracta. Hic autem à longo tempore conquerebatur de singulari dolore sub sterno, quàmvis de cætero sanus videretur.

Quoad reliqua physicæ vitæ symptomata, alia pendent ab imminuto, imò & suppresso motu cordis, qualis & asphyxia, syncope & leipothymia: alia pertinent ad ejusdem motûs augmenta: alia demùm sunt illius motûs intermissiones & palpitationes, de quibus nunc sigillatim.

Palpitatio cordis nihil aliud esse videtur præter violentam ac inordinatam ejus contractionem, unà cum magnâ resistentiâ oblatâ sanguini in arterias propulso, quâ ratione percipitur arteriæ pulsatio fortior, eaque ultrà solitum ordinem contin-

gens,

gens, corde ipſo interim ſimilem experiente concuſſionem. Quæ pulſationes, ſi aſſiduæ fuerint per certum quoddam tempus, certò pendent ab aliquâ causâ topicâ, ideòque ſæpè accerſunt extraordinariam cordis dilatationem veluti aneuriſmaticam; ſi verò tranſitoriæ illæ fuerint, cauſam arguunt ſympathicam omninò tranſitoriam.

Sed quæcumque fuerit palpitatio cordis, ea indicat inordinatum ac violentum impetum liquidi nervoſi in villos cordis, qualis impetus creari poteſt à plurimis rebus. Talia ſunt 1°. valida pathemata iræ, gaudii, terroris; 2°. motus corporis violenti, ſeu in curſu, ſeu in variis ludis gymnaſticis; 3°. evigilatio præceps, cujus nempè occaſione obruitur cor ſanguine per venas celeriùs reduci; 4°. nimia cordis irritabilitas, qualis induci valet ratione ſtimuli alicujus topici aut ſympathici. Topici ſcilicèt dicti, quandò fovetur ille à vermibus in pericardio concluſis, à ſanguine ibidem extravaſato, à phlogoſi vel ulceratione cordis aut pericardii, à varicibus aneuriſmatibuſve præcordialibus, ab oſſeis cartilagineiſve concretionibus vaſorum præcordialium, & deniquè à polypis cordis: ſympathici verò, quandò ſtimulatio cordis creatur ab infarctu hyſterico, hypocondriaco, nephritico, hæmorrhoïdali, vel & ab variis ductûs cibarii irritationibus.

Variarum cauſarum prædictarum diagnoſis erui poteſt ex attentâ conſideratione phyſiologicâ & pathologicâ partium affectarum: ſed opus eſt magnâ accuratione, & cautè pronunciandum. Quoad prognoſim autem, omnia magis clara ſunt. Si cordis palpitationes tranſitoriæ fuerint, non aliud periculum agnoſcunt quàm periculum cauſæ cognitæ, ſatiſque facilè ſanantur ut plurimùm. Sed ſi fuerint habituales valdèque notabiles, eæ habendæ ſunt inſanabiles, ſæpeque terminantur morte ſubitaneâ.

Pulsûs intermiſſio vocatur ſtatus ille pulſationis arteriæ digito interrogatæ, in quo deficit una aut altera ſolita pulſatio ; ſive defectus ille incidat ritu regulari, ſive irregulari. Tale ſymptoma deſignat varias affectiones cordis, magis vel minùs periculoſas ; vel & quandòque ſalutares promittit eventus, nempè quandò materies critica molitur abire per cloacam inteſtinalem, aut hæmorrhoïdalem, prout deſignatur ex tenore intermiſſionis, circà quem conſulatur de Bordeu.

Quæcumque verò ſit intermiſſio pulsûs cordis, cùm ſupponat inæqualem influxum liquidi nervoſi in cor, ſeù potiùs ſtationariam ejus interceptionem ; concipitur id fieri poſſe, 1°. propter inopiam hujus liquidi, tùm propter fatiſcentem cordis irritabilitatem vitalem, ſicut obſervatur in moribundis ; 2°. propter aliqua vitia organica cordis, aut vaſorum præcordialium; qualia ſunt convulſio, polypus, inflammatio, concretiones oſſeæ aut cartilagineæ, aneuriſmata ; 3°. propter ſanguinis aliò dimoti revulſionem, aut ejus actualem deperditionem, quâ occaſione fit ſanguinis penuria in corde : ſicut obſervatur tempore hemorrhagiæ majoris aut diuturnæ, tàm internæ, quàm externæ : aut poſt illam ; 4°. deniquè, contingit etiam pulsûs intermiſſio imminente criſi per viam inteſtinalem, quæ dignoſcitur eò quòd illa intermiſſio fiat poſt ſigna *pepaſmi*, non ſolùm abſquè ſignis majoris debilitatis, ſed & jamjam è contrà ſubtùs apparente *euphoriâ* aliquâ, ſeu levamine.

Quoad prognoſim intermittentis pulsûs, facile eſt agnoſcere quænam intermiſſio pulsûs lethalis ſit ; quænam ſymptomatica magis vel minùs periculoſa ; quænam demùm critica bona, aut lethalis.

Pulſus arteriarum non raròevadit crebrior, vel abſolutè, vel tantummodò reſpectivè : tuncque ſemper arguit celeriorem

contractionem ſyſtolicam cordis, quæ ſimiliter eſt vel abſoluta, vel reſpectiva; abſoluta nempè, in caſu motûs ſanguinis adaucti per motus corporeos, aut creati ab aſſumptis cardiacis, vel ab animi quodam pathemate fervidiori: reſpectiva verò, in caſu febrium, tàm inflammatoriarum, quàm humoralium; cujus augmenti proportione judicatur febris gradus, ſeù intenſitas, ſicut fuſiùs dicetur, ubi de ſignis ex ſanguinis circulatione deſumendis.

Quemadmodùm autem pulſus arteriarum non raro adaugetur, ita & ſæpè minòr fit; imò & quandòque ſic minuitur, ut omninò videatur deletus. Hoc obſervare eſt in aſphyxiâ, tùm in variis animi deliquii gradibus, qui tres agnoſcuntur, *leipothymia* ſcilicèt, *leipopſychia*, & *ſyncope*.

Leipothymia eſt ille ſtatus vitæ, in quo tàm magna adeſt pulsûs imminutio, ſicque vires protinùs debilitantur, ut corpus vix ſuſtineri valeat; quod tamen fit, adhuc manente mente, nulloque ſudore promanante.

In Leipopſychiâ, quæ eſt ſecundus gradus, debilitas pulsûs multò major eſt, & tandem patiens non ſolùm deficit ſenſu ſicut & motu: verùm etiam linquitur animo, abſquè quòd tamen ſudor ullus frigidus adhuc prorumpat.

In ſyncope demùm, quæ eſt fortius ac periculoſius deliquium animi, fit præceps virium lapſus, quem concomitatur pulsûs defectio integra, privatioque ſensûs & motûs; & quem inſeparabiliter conſequitur frigiditas totius corporis, unà cum ſudore frigido, qui & ſudor ſyncopticus audit.

Tres illi affectus, ut facilè concipitur, differunt duntaxat quoad intenſitatem & numeroſiorem phænomenorum ſymptomaticorum ſyndromem. In leipothymiâ ſiquidem deficit ſolummodò facultas vitalis, dùm in leipopſychiâ facultas animalis ſimul labefactari incipit, ſicut notavit accuratus Gorræus in definitionibus; quod malum majus adhuc fit in ſyncope.

Solent prædicti duo primi gradus oriri propter inanitiones quaslibet; sed sæpè etiam fiunt propter sanguinis jacturas, non solùm si eæ copiosæ fuerint; sed si longæ, etiamsi guttatim contingerent, factâ ad illas attentione. Accidunt etiam eadem symptomata, effectu sæviorum dolorum, ut & ideâ rei horridæ: tùm ex rupto intrò abscessu, quâ nempè occasione contingit exsolutio, vel vomitus, vel animi deliquium, sicut notatur apud Hippocratem, aph. 8. sect. 7. Quinimò nascitur quandòque deliquium animi periculosissimum propter latens quoddam vitium propè cor, vel aliud viscus nobile; & hìnc concipitur quarè, ex aph. 41. sect. 2., *qui crebrò & vehementer citrà manifestam causam animo linquuntur, repentè moriantur.* Quam prognosim jam pluries eventû confirmatam vidi.

Notatur quoque à Practicis, quòd *si profluvio muliebri convulsio & animi defectio supervenerit, malo sit*, ex aph. 56. sect. 5. Natura enim tunc non fatisceret ob evacuationem mulieribus adeò amicam, nisi excessiva foret, aut nisi procederet à causâ pessimâ. Utrumque autem sanè malum est, sicut omne id quod naturæ modum excedit, ex aph. 4. sect. 2.

Unam adhuc addemus notam ergà deliquium periculosum animi, quod contingit unà cum aliis signis effœminatarum virium, apud eos qui potibus calidis abutuntur, de quo mentio habetur aph. 16. sect. 5, his verbis: *calidum, eò frequentiùs utentibus, has affert noxias, carnium effœminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguinis profluvia, animi defectiones. Hæc quibus accidunt mors.* Quod ita quidèm adventat, quia ubi, propter talem abusum, solida viscerum compages hucusquè degeneravit, sanguisque simul tantâ tenuitate aquosâ correptus fuit: natura ut & ars impares sunt tantis vitiis emendandis. Ideòque his vitiis perstantibus, vita necessariò suc-

cumbere debet; neque id mirum. Ex hâc autem Hippocratis observatione ergà aſſumptores potuum calidorum, ſicut & eos qui calidis balneis abutuntur, apparet haſce conſuetudines admodùm familiares fuiſſe ſub illius ævo. Sed ſi mala eadem nunc non oriantur tam frequenter, ſimilem ob cauſam, ſaltem apud nos; nonnè heu! eadem omninò contingunt quandòque apud divites aſſiduo otio colliqueſcentes, præſertìm ſi libido maturior & effrænata locum ſimul habuerit, ac præſertim manuſtuprum.

Memorandum ſupereſt vitale ſymptoma omnium terribilius, quod aſphyxia vocatur, etiam vernaculè. Eſt autem ille ſtatus vitæ in quo omnia ejus exteriora ſigna ita deleta ſunt ad ſenſum ſpectatoris, & ita ſubitò: ut perfecta mortis imago videri videatur, præ cadaveroſo livore & frigore, omnimodâque, tùm pulsûs, tùm reſpirationis carentiâ: & ut certiſſima mors indè accerſatur, niſi præſtò ſuccuratur talia patientibus.

Jàm diù notum erat aſphyxiam creari à ſubmerſione, à ſtrangulatione, à frigore & calore ſummo, à doloribus ictibuſque vividioribus; tum ab hæmorrhagiis maximis, necnon & ab animi fervidioribus pathematis. Sed prætereà compertum eſt, formidatiſſimam hanc affectionem explodi ſæpiùs ab omnigeno fluido aëriformi haud reſpirabili, quale eſt gas inflammabile; tùm gas cretaceum, quod antè alia vocatum fuit gas mephiticum; qualia etiam ſunt alia effluvia gaſeoſa acida, necnon & alcalina dicta, tùm hepatica; quibus deniquè addenda ſunt effluvia pernicioſa florum & fructuum, teſte ingenioſiſſimo Ingen-Housz.

Lethalis effectus horum omnium vaporum in hoc conſiſtit, quòd iis mediantibus aër atmoſphericus non ampliùs reſpirabilis ſit; adeò ut homines ab iis vaporibus affecti intereant, quaſi forent concluſi ſub campanâ Boylianâ, aut aquis ſubmerſi.

Videamus nunc quænam ſint ſymptomata hujus mephitiſmi, prout procedit malum illud, & conſideremus quid obſervetur in cadaveribus hominum ab illo miſerè enecatorum, teſte D. Harman.

1°. Nempè, ubi primùm mephiticus vapor incipit exercere vires ſuas ſuprà hominem, hic homo plerùmque vomitu corripitur, aut magnis & continuis nauzeis ſaltem angitur. Tùm reſpiratio ejus ſimul fit æquè laborioſa, ac ſolet eſſe in inſultu aſthmatis convulſivi; prætereàque torquetur gravi dolore capitis: ad quod manum ferè continuò admovet, quaſi coactus.

2°. His in circumſtantiis, ſi homo maneat expoſitus tali vapori, ille brevi tempore proſternitur orbatus omni ſenſu & motu; convulſiones ſimul ingruunt; oculi protuberantes ſunt & aperti; mandibula conſtringitur nullo medio dimovenda, eaque invincibiliter conſtricta manet.

3°. Demùm, progrediente aſphyxiâ, facies tumida evadit & colorata; quandòque verò livida, non exceptis ipſiſmet labris. Abdomen meteoriſmo corripitur non valdè renitenti. Pulſus & reſpiratio ſilent omninò, ideòque datur omnimoda quies in thorace.

Si homini taliter ſyderato non illicò ſuccuratur congruâ arte, conclamatum eſt de illo; brevique tempore poſt hanc mortem poſſunt jam obſervari ſingulares mutationes in cadavere ejus, quaſi ille à pluribus diebus vitam amiſiſſet. Nempè textus cellularis communis reperitur ampliatus, ſicut contingit in pecoribus poſt inſufflationem ſubcutaneam. Muſculi, præſertim abdominales, præbent nigredinem mollitiemque, qualis à putrore ſummo oritur. Abdomine aperto, exploditur multus aër fœtidiſſimus; prorumpunt cùm impetu ventriculus & inteſtina valdè flatulenta; craſſa inteſtina potiſſimùm turgent; tenuia verò, præ-

ſertimque ileum, ſphacelo icta apparent; turgent vaſa eorum ſanguine aterrimo picem liquatam æmulante; ſtagnat in cavitate hypogaſtricâ multus ſanguis grumoſus, fluitans in ſero benè multo; hepar, lien, renes, uterus, nihil ſpectabile præbent; ſed in tractu cavitatis ventriculi, ut & tenuium inteſtinorum, videre eſt materiem, qualis in morbo nigro: in hiſque cernitur forma & color veri botelli.

Quoad pectus, pulmones magis turgidi ſunt quàm par eſt, & ſcatent maculis nigris; iique ſingulas per inciſiones evomunt liquorem multum, ſpumoſum, ſanguinolentumque. Bronchia obruta ſunt humore viſcoſo, ſpumoſo, glottidem operiente. Cor & auriculæ, ut & vaſa præcordialia, ſcatent copioſo ſanguine grumoſo.

Cerebro demùm conſiderato, inveniuntur ipſa cranii tegumenta ſanguine atro referta, ut & ipſæmet diploës cellulæ. Dura mater cranium deſerit omninò, exceptâ vicinitate ſinûs longitudinalis. Hic ductus venoſus craſſus eſt lividuſque, plenus tamen ſanguine atro, ſicut vaſa abdominis. Cerebrum ipſum, juſtò tumidius, in ſuâ ſuperficie imbutum eſt muco viſcoſo, & pingitur vaſis nigris admodùm varicoſis. Deindè, ſi ſubſtantia medulloſa cerebri horiſontaliter ſecta fuerit, ea præbet parvulas maculas nigras. Ventriculi pleni ſunt ſero crocei coloris, in quo innatat plexus choroïdeus ferè mutatus in mucum. Cerebellum tamen in ſtatu ſuo ordinario deprehenditur. Omnes nerveæ conjugationes faciliori negotio demonſtrantur, quàm in alio quolibet cadavere; &, quod meritò annotatur à D. Harman, nervi olfactorii craſſitudine, colore, ut & conſiſtentiâ inſignes ſunt, ſcilicèt maximè rubri, pulpoſi, & multò craſſiores quàm congruit foraminibus oſſis cribroſi.

Quæ omnia prædicta celerrimæ putredinis phœnomena viden-

tur promanare ex intuſſuſcepto mephitiſmo per abſorbentes venulas, ſimul & ex retentâ illâ aurâ quæ à pulmonibus continuò exhalat, quâ ſolemne eſt aërem expiratum phlogiſticari.

Si verò ſtatim & congruenter tractetur aſphycticus, qui infectus fuit à vapore carbonum; ſi nempè, ſublatis omnibus ejus veſtimentis, quantociùs in aprico perluatur irrequietâ frigidæ aſperſione ſuprâ faciem, (etiam per plures horas, ſi opus ſit), tandem ille reviviſcit; & hæc ſunt ſigna reſurgentis vitæ, ſecundùm obſervata accurata Medici jam laudati.

Primum nempè ſignum vitale habetur in parvulis ſingultibus, conſtrictioneque & ſuſurro levi narium. Multiplicatis poſteà ſingultibus, eodem momento adaugetur mandibulæ ſtrictura. Quibus in circumſtantiis, ſi perrexerint ſingultus, iique fortiores evaſerint, prout frigida affatim aſpergitur; horum occaſione eructantur ex ore materies ſpiſſæ, mucoſæ, ſpumoſæ: necnon & quandòque excitatur vomitus niger, veluti in morbo nigro Hippocratis; cui vomitui ſeriùs ociùs ſuccedit univerſalis horror, quo feliciter indicatur reſpiratio mox mox ſenſibilis evaſura.

Factis jam his progreſſibus, redit vox cum reſpiratione, inter clamores nonnullos; ſed tunc patiens ut plurimùm delirat realiter, illeque oculis apertis & protuberantibus nihil videt adhuc; manetque tale delirium, taliſque cæcitas, pro majori impreſſione factâ per mephitiſmum. Rationis tandem uſus, non à longè ſuccedit delirio huic momentaneo; illeque uſus primò impenditur in declarando dolore circâ occiput, in lugendâ exultatione cordis ex quâ fluit pulſus intermittens: tùm deniquè, in juſtâ querelâ algoris maximi, omnia membra diſperſi, & creantis horripilationes, velut in paroxiſmo febris intermittentis. Tunc duntaxat, minimè verò maturiùs, patiens tutò poteſt in lecto

reponi

reponi. Calor, qui posthàc restituitur, plerùmque inducit soporem magis vel minùs notabilem, cui succedit tandem debilitas generalis, proportionata gradui asphyxiæ toleratæ.

Tunc, ut & sequenti die, juvat clismatibus uti, necnon potione aliquâ catharticâ; quorum ope brevì redit sanitas, nullo remanente vestigio tolerati mali. Sed quoad asphycticos submersos, non eadem est sors, sicut nec tractatio. Corpora eorum, valdè frigefacta per submersionem, non levantur ab impressionibus frigidi aëris, sicut nec aquæ frigidæ. Bonum è contrà, adhibere calorem lecti, unà cum aliis auxiliis, secundùm methodum D. Pia.

Aliud genus asphyxiæ singularis nuper innotuit; familiare destercoratoribus latrinarum, quod ab illis gallicè vocatur *le Plomb*, & cujus effectus morbosi, quoad plura, congruunt cum asphyxiis mephiticis; differunt verò quoad multa alia. In hoc affectu quidem patientes fiunt quoque asphyctici; sed, notante D. Hallé, asphyxia hæc differt ab asphyxiâ vulgari. 1°. Nempè asphyxia dicta *le Plomb*, contagiosa est. 2°. Ubi ea cuidam homini communicata fuit, producit symptomata diversa ab symptomatibus asphyxiæ *plumbagineæ* primigeniæ, sicut mox dicemus.

Stupendus ille affectus, dictus *le Plomb*, oritur sanè ab impeditâ respiratione, sed nascitur simul ab intussusceptione miasmatis alicujus teterrimi, quo sanguis hominis infecti conspurcatur illicò, & corrumpitur: ideòque brevi tempore fit capax emittere miasmata nova similia, fœtore singulari insignata, simul & contagione mirabili.

Nondùm patuit quodnam sit miasma illud. Apparuit duntaxat illud non esse naturæ aëris cretacei, neque alcalini, neque hepatici, neque inflammabilis. Quodcumque verò sit, illud atmosphærâ levius est, non omninò inimicum combustionis, non

inflammabile; neque etiam fœtens, nisi quandò promanat ab homine affecto; nec corrigitur à vaporibus acidis. Præterea illud visum est transgredi maximam laticis aquei copiam, nullâ toleratâ sui absorptione; illudque sæpè eructat ex loco anteà innocuo, simodò sublevetur lapis latens inter vetusta stercora, aut si tràns aquam latrinarum (*la Vanne* gallicè dictam) adigatur corpus quoddam, ad percontandam latentium materierum naturam.

Si tale miasma fuerit gas aliquod singulare, vel illud oritur ex aliorum combinatione, vel forsan non emanat aliundè quàm ex corporibus quæ putruerunt in loco coërcito. Docebunt observationes. Sed, donec meliora innotescant circà corpus illud, juvat tradere symptomata asphyxiæ *le plomb* dictæ, sive illius quæ primigenia est, sive illius quæ suscepta fuit per communicationem, adeòque secundaria vocari potest.

Nempe scripsit laudatus D. Hallé (1), semel se vidisse asphyxiam plumbagineam primigeniam, & hæc observata fuisse symptomata; hominem scilicet in ipso instanti invasionis semel vociferatum esse, eumque illicò asphyxiâ ictum fuisse; sed brevi posthac restitutum beneficio congruæ artis, & sequentia dein symptomata expertum fuisse. Nempè, ubi primùm miser ille incœpit recipere animum, abdomen ejus intumuit, simul & os ipsi repletum est spumâ sanguinolentâ. Loquela, ut & respiratio, non nisi pedetentim redintegratæ fuerunt, prægressis vomitibus, alvinisque dejectionibus spontaneis. Alii verò qui plumbo asphyctico leniùs capti erant, experti sunt symptomata respirationis anhelosæ, quæ dissipata non fuerunt, nisi magnos post conatus, eosdem convulsivos.

Quod spectat asphyxiam plumbagineam secundariam, seu

(1) Recherches sur les effets du méphitisme, page 94.

communicatam, ea naſcitur per intuſſuſceptionem miaſmatis peculiaris, quod exhalat ex ore hominis primitùs tentati affectione plumbagineâ dictâ. Sed illud obſervari meretur, nempè quòd contagioſum miaſma plumbagineum, promanans ex homine primitùs infecto, referat ſingularem fœtorem: etiamſi nullus omninò percipiatur odor peculiaris in loco aſphyxiæ producendæ apto, antequàm homo aliquis priùs ibi plumbo infectus fuerit. Quinimò, ubi jàm aliquis eſt plumbo imbutus, fœtor ille dignoſcitur, ſicut D. Hallé didiſcit à quodam præpoſito reliquis operariis, nomine Verville; quippequi monuerit percipi hunc odorem, paulò antequàm ipſe corriperetur aſphyxiâ plumbagineâ communicatâ: veluti miſerâ ſuâ ſorte probaturus aſſertionem ſuam. Undè hic fœtor hominis primitùs infecti, manifeſtò indicat celerrimam alterationem, quæ creata fuit in ejus humoribus.

Symptomata autem convulſiva plumbi communicati, obſervante D. Hallé, loco citato, multò vividiora ſunt quàm in primitivo plumbo. Nam ea exhibuerunt ſpaſmos ad tetanum accedentes, necnon paroxiſmos haud abſimiles ab epilepſiâ; quibus pacatis inſultibus, datæ fuerunt aliquæ induciæ. Sed eadem ſymptomata manè ſequenti recruduerunt, quæ tunc fuerunt diſſipata beneficio ſpontaneì vomitûs materierum atrarum fœtentiumque; huicque vomitui ſucceſſerunt dolores, qui poſt quindecim dies remiſſionem obtinuerunt per ſupervenientem eruptionem macularum elevatarum, durarum, rubrarum, atque creantium terribiles pruritus; quâ eruptione repercuſsâ poſt quinque hebdomadas, ſuborta fuit tuſſis violenta convulſivaque, notata inſultibus ſtationariis, ad normam tuſſis ferinæ infantum. Hanc tuſſim comitabantur dolores atroces ſtomachi, interimque patiens experiebatur quamdam immobilitatem ſemper

ſimul perferendo vividum dolorem in brachio dextro, præprimiſque in crure, & tibiâ ejuſdem lateris. Synapiſmus ſolus attulit notabile ſolatium. Nihil proficiebant demulcentia internè adhibita, ſicut nec narcotica; quæ ultima tamen leviter allevaverunt poſt adhibitum ſynaſpiſmum. Nihil quoque profuit uſus ſudoriferorum, neque acidorum; imò nocuum fuit alcalinum volatile aſſumptum, itemque nocuus Mindereri ſpiritus. Veſicantia procul dubiò utiliſſima fuiſſent, ſi voluiſſet illis uti prædictus patiens; qui propterea, ut notat D. Hallé, pluribus poſteà menſibus (nempè per hyemem ſequentem), laboravit anginâ tenaci, quam comitabantur maculæ rubræ, minùs quidem elevatæ, minùſque duræ, quàm eæ fuerant paulò poſt aſphyxiam communicatam; ſed quæ apertè indicabant latentem adhuc portionem miaſmatis plumbaginei ſuſcepti. Undè &, triſti experientiâ ſuâ, idem homo adhuc probavit verum eſſe quod aſſeruerat; nempè aſphyxiam plumbagineam communicatam multò tenaciorem eſſe, atque difficiliorem curatu, quàm plumbaginea aſphyxia primigenia.

Non ſunt prædictæ dumtaxat duæ facies, ſub quibus lues hæc tetra ludit mortales. Si crediderimus eidem Verville (multa autem fides habenda ingenioſo obſervatori), ſecundùm eum dantur quinque ſpecies *plumbi*, variis ſuis ſignis diſtinctæ, quas refert D. Hallé, loc. cit. pag. 99; niſi forſan ſpecies illæ tantummodò pendeant à variâ patientium conſtitutione. Enimverò his adhuc addenda forſitan ſexta ſpecies; aſphyxia videlicet *tarda*, qualis fuit illa quam paſſa eſt quædam mulier die 6 junii 1781, dùm aderat ſacris Officiis; quæ nempe mulier die veneris proximè præcedenti adfuerat aſphycticis, eaque jàm tunc aſphyctica facta fuerat propè januam Sancti Antonii; nam, ſi verum eſſet eam reipsâ laboraſſe denuò,

duobus diebus elapsis à primâ affectione : indè etiam dicere liceret, illam mulieris asphyxiam secundam, vocari posse *plumbum tardum*, cæteras verò *plumbum subitum*.

Longior jàm fortè videretur digressio nostra de variis asphyxiis vernaculè dictis *le plomb*, si jàm ab omnibus cognita forent observata D. Hallé, viri Medici Parisiensis, Regis jussu typis mandata hoc anno 1785 : & si quæstio agitata in favorem hominum vilioris subsellii, posset aliena esse à Philosophis humanæ sanitati tuendæ consecratis. Quapropter, mentionem adhuc faciemus de alio malo asphyxiis prædictis affini, quoad communem scaturiginem, quod à mundatoribus cloacarum vernaculè vocatur *la mitte*.

Ea affectio nihil aliud est quàm peculiaris oculorum inflammatio, necnon & quandòque excæcatio, quæ creatur ab aliquo miasmate acri & pungente, ex latrinis sublimato. Sed ea secundùm operarios cloacales, nequaquàm dependet à plumbo, quandoquidem ferè in omnibus latrinis mitta contrahitur, dùm plumbum sævit dumtaxat in aliquibus.

De cætero, miasma mittam creans inodorum est omninò, & tamen volatile admodùm.

Trinam speciem mittæ agnoscunt prædicti operarii : mittam nempè humidam, seu fluentem, gallicè *mitte coulante* : mittam pinguem, *mitte grasse* dictam : deniquè mittam pinguem tardam, *mitte grasse tardive*.

Mitta humida stipatur tumore atque rubedine oculorum, unà cum effluvio laticis aquei, quo mediante, mitta brevì sanatur.

Mitta pinguis, seu sicca, notatur tumore, rubedineque multò majoribus, ex eòque tumore nullus latex effluit. Hujus affectûs dolores acuuntur à calore exteriore & lecti, tùm à vino, cibisque calefacientibus. Aër nocturnus in aprico respiratus

necessariò requiritur. Simulque patiens uti debet fotibus aquæ frigidæ, alimentisque & potibus frigidis. Porrò ubi, mediante sternutatorio (apud eos miseros usitato), mitta hæc siccca vertitur in humidam, notabile percipitur levamen. Secùs, patiens cæcutit per duos tresve dies, neque licet ipsi laborare. Verùm, ope sternutatorii, eo ipso contagionis die potest operari, servando tamen ruborem oculorum per diem unum aut alternum.

Mitta sicca tarda non in ipso opere nascitur, sed nocte tantùm subsequente. Incipit à dolore suprà frontem, quem vocant *le fronton*, cujus occasione homo affectus expergiscitur, ab hinc passurus mittam siccam, similem præcedenti.

Hæc omnia dicta sint in favorem miserorum hominum, quorum squalidis operis debemus puritatem nostrorum domiciliorum, aërisque quem respiramus. Imò, notandum quoque occurrit, quòd nempè ii homines vivant quidem immunes ab aliquot morbis cutaneis, sed quòd vita eorum sit mediâ parte brevior quàm in cæteris hominibus. Prætereà, si iidem morbis venereis fortè corripiantur, & in eo statu laborare perrexerint, notatur eorum malum intrà quindecim dies ita exacerbari, ut insanabile evadat.

CAPUT SECUNDUM.

De Sanitate.

Sanitas in se spectata, & latè sumpta, videtur esse aliqua veluti generalis functio hominis, formata ex perfecto exercitio cæterarum omnium ejus functionum particularium, & quæ sæpenumerò labefactatur, adventante scilicèt aliquo morbo.

Enimverò, respectu variorum individuorum humanorum,

idea ſanitatis minùs latè patet. Ea tantummodò comprehendit liberum exercitium functionum dato cuilibet individuo propriarum, quod perindè labefactari poteſt, & cujus integritas perindè eſt ſpectanda tanquàm ſignum diagnoſticum integerrimæ vitæ, reſpectu dati individui. Nonne enim luſcus, cæcus, ſurdus, mutus & ſtolidus, aliundè poteſt eſſe æquè ſanus, ac homo alter, qui in prædictis vitæ muneribus foret integer? Nonne & homo ambulatione orbus, valet eſſe æquè ſanus aliundè, ac exquiſitus ſaltator? Puer, æquè ac adultus? Eunuchus, æquè ac vir? Mulier gravida, æquè ac virgo? &c.? Sed ſicut propria quorumvis ſanitas ſuſcipit magis & minùs, ita & in quibuſlibet ſanitatis abſentia, evadit morbi præſentia.

Conſequenter, ubi quædam functio propria cuidam individuo jam non exercetur ritè, aut ubi aboletur, tunc adeſt morbus magis vel minùs extenſus; qui, ut ſuprà monuimus, dignoſcitur ab aliis morbis, beneficio ſymptomatum ſeu ſignorum ſuorum ſimul incidentium: accidentium ſcilicèt occaſione hujus functionis læſæ, vel abolitæ.

Sed, quemadmodùm Medicus debet morbos præſentes dignoſcere, eorum reſerare cauſas, eorumdemque præſagire eventus, ad hoc ut ipſis ritè mederi valeat; ita & officium Medici poſtulat morbos adventuros prævidere, ad ipſis occurrendum. Prius autem officium adimplebitur ex conſideratione pathologico-ſemeïoticâ, quam ſuſcepimus. Obtinebitur alterum, ex plurimis cognitionibus mox indicandis; nempè 1°. ex cognitâ conſtitutione annorum, tempeſtatum, imò & dierum ipſorummet; 2°. ex actuali ſanitate individuorum; 3°. ex eorumdem ætate & ſexu; 4°. ex ipſis prægreſſis morbis; 5°. demùm, ex ipſo ſtatu hominis à morbo convaleſcentis: quæ ſingula ſingulis articulis nunc ſunt exponenda.

ARTICULUS PRIMUS.

Cognitiones medicæ inferendæ ex conſtitutionibus annorum, tempeſtatum, & ipſorummet dierum.

Varias conſtitutiones annorum, tempeſtatumque & dierum, valdè efficaces eſſe ad morbos varios producendos, aggravandos, mutandos, imò & fugandos, certum eſt. Nam latere nequit, quantùm viventia corpora ab illis afficiantur.

Facile quidem eſt indicare illas tempeſtates plurimùm poſſe ſuprà homines, mediante ſuo calore aut frigore, ſiccitateque aut humiditate; prout illæ qualitates vario modo combinantur, prout aliæ aliis prædominantur; tùm prout illæ regnant unà cum ventis auſtrinis, aquilonaribuſve, aut ſine illis, vel iis propemodùm ſilentibus. Enimverò, ut docetur aph. 1. ſect. 3, *tempeſtatum anni mutationes potiſſimùm morbos pariunt, & in ipſis anni tempeſtatibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, aliaque pro ratione ad hunc modum.* Id eſt, mutationes ipſæ magnæ in flatu ventorum, necnon in ratione vivendi, ut & reſpectu variarum ætatum, & regionum.

Plura conſideranda occurrunt circà hanc quæſtionem 1°. Nempè venti; 2°. conſtitutiones regulares tempeſtatum; 3°. earumdem conſtitutiones irregulares; 4°. conſtitutiones dierum; 5°. deniquè, conſtitutiones annuæ, aliæque conſtitutiones extenſæ. Quæ omnia totidem paragraphis nunc breviter perpendenda ſunt.

§. I.

Effectus ventorum in humana corpora.

Considerandam eſſe ventorum actionem commendat Hippocrates multis in locis, præſertimque initio libri de aëre, aquis & locis; videturque illos ab eo duntaxat diſtinctos fuiſſe in auſtrinos

austrinos & in boreales. Saltèm ii sub illo tantùm respectu celebrati fuerunt aph. 5, sect. 3, ubi exponuntur eorum qualitates & effectus his verbis: *Austri auditionis hebetudinem, visionis caliginem, capitis gravitatem inducunt, corpus torpidum & languidum reddunt. Cùm sic invaluerit tempestas, ista in morbis patiuntur. Sin aquilonia fuerit, tusses, faucium asperitates, alvi duræ, urinæ difficultates, horrores, laterum & pectoris dolores fiunt. Cùm sic invaluerit, talia expectato* (1). Quæ quidem ita fieri concipiuntur, eò quòd australes venti in genere sint humidi, minùs frigidi, parùmque electrici: dùm boreales, è contrà, sicciores existunt, frigidiores, electrico igne ditiores. Undè sequitur organa relaxari, & humores fieri vapidiores effectu austri: dùm è contrà, boreas solida strictiora reddit, humoresque orbat superfluo sero. Nam præsertim attendere convenit, quòd athmosphæra constanter minùs electrica sit, dùm eam perflant venti austrini; & quòd illa sit magis electrica, quandò utitur flatu ventorum borealium. His adde, quòd longè diversa sit eorum ventorum actio suprà loca & Urbes 1°. prout iis omnibus vicissim & liberrimè perflare licet; 2°. prout veniunt è locis humidis, aut aridis, aut frondosis; 3°. prout absque obstaculo transeunt ab ipsâmet offernâ athmospherâ, aut supernam duntaxat ejus regionem averruncant; 4°. demùm, prout ii vario modo reflectuntur. Maximum sanè meditationis & observationis argumentum pro Meteorologistis.

Prætereà, attendendum est, quòd venti omnes multùm conducant ad emendationem aëris athmosphærici, quatenùs motu suo capaces sint dissipare ac destruere quemcumque impurum aërem.

---

(1) Hic aphorismus iisdem ferè verbis conscriptus legitur, lib. de humoribus.

Undè intelligitur tempestates nimis tranquillas minùs salubres esse, præsertimque hyemem; quia hæc non fruitur beneficio vegetantium, quorum actio tunc ventis supplenda foret

§. II.

CONSTITUTIONES tempestatum regulares.

SICUT Hippocrates ingeniosissimus notavit, eæ tempestatum anni constitutiones regulares dicendæ sunt, quæ magis congruunt votis naturæ vegetativæ adimplendis. Hoc autem fit, quandò hyems frigida est & humida: ver calidum & humidum: æstas calida & sicca: autumnus siccus & frigidus. Quarum tempestatum durationes nequaquàm æstimari debent secundùm vulgare Calendarium, sicut multi volunt; sed computandæ sunt secundùm mentem hujus Medici. Secùs enim, obscura fiunt, imò & inutilia, quæcumque ab eo prolata fuerunt circà illas.

Effectus earum tempestatum tales sunt. Hyems nempè corpora densat & humores, eosque ad centrum pellit, simul & homines ad majorem quietem, majori obscuritate suâ invitat; fortèque & aëre suo minùs vitali, exercet vim quamdam soporiferam. Ùndè, ut docetur aph. 15, sect. 1, *Ventres hyeme & vere naturâ calidissimi, somnique longissimi. His igitur temporibus copiosissima cibaria exhibenda: siquidem plurimum inest calidi innati, ideòque copiosiore indigent alimento; quod indicant ætates & athletæ.* Cùm hæc ita sint, hyems capax est gignere plurimam copiam sanguinis densioris, aut pituitosâ humiditate onerati, secundùm variam hominum ætatem, aut temperiem accidentalem.

Itemque valet ver proventum sanguinis facere; sed prætereà naturam animalem permovet, quasi vegetantum more; pu-

riori aëre quàm hyems fruitur; vimque centrifugam corporum adauget.

Æstas verò, favore ſicci caloris ſui, ut & vegetationis, meliorem aëris reſpirabilis qualitatem facit, majorem perſpirationem fovet, celerioremque invehit animaliſatorum humorum finem; adeòque bilem copioſiorem gignit, ipſi conciliando varium cauſticitatis gradum, pro majori ſuâ electricitate.

Autumnus demùm, bilem quoque fovet nonnihil, utpotè qui ſub ſuî initio ſatis affinis ſit æſtati. Sed, ſubſequente ejus frigore valdè electrico, exſiccat bilem æſtivam, eamque atram reddit; tandemque eodem frigore, majore atque majori evadente, non nihil accedit ad qualitates hybernas. Quibus de cauſis fit, ut *per autumnum morbi acutiſſimi & exitioſſimi magnâ ex parte contingant; ver autem ſaluberrimum ſit & minimè exitiale*, ſicut habetur aph. 9, ſect. 3; & ut *autumnus tabidis malus*, ex aph. 10. ſect. ejuſdem. Quæ prædicta omnia producta tempeſtatum, ſic de cætero intelligenda tamen ſunt in ordine regulari, ut tempeſtas una poſterior, ſit aliqualis antidotus prioris.

Quia verò, per quaſcumque tempeſtates, homines debent ab illis affici pro earum peculiari diſpoſitione, dùm prætereà iidem afficiuntur ratione variarum intemperantiarum ſuarum, aut aliorum variorum accidentium: *morbi quidem omnis generis in quibuſvis anni temporibus oriuntur, ſed nonnulli tamen quibuſdam temporibus magis fiunt & exacerbantur*, ſicut notatum eſt aph. 19, ſect. 3. Cùm enim data conſtitutio tempeſtatis, generali ſuâ actione, plures numero homines diſponat ad talem affectionem ſibi affinem, quàm qui poſſunt reperiri in aliâ accidentali diſpoſitione: nonnulli morbi numeroſi præſertim fiunt effectu talis vel talis conſtitutionis; dùm varii alii morbi miſcellanei nihilominùs accidunt eodem tempore, ſecundùm peculiares

hominum quorumdam dispositiones omninò peregrinas constitutionibus tempestatum ; aut propter causas quasdam accidentales. Sic, ex gr., quocùmque in tempore morbi aliqui sporadici oriuntur propter ingluviem, aut frigus incautè susceptum, habitationemve pravam; tùm propter quietem immodicam, minoremve, &c.

Propterea, quandò regulares sunt anni tempestates, solent morbi populares aliquem ordinem sequi, redeundo, ut & abeundo, variis anni tempestatibus; imò nulli fermè forsan regnarent, aut saltèm illi omninò regulariter redirent, abirentque haud difficulter quodam tempore solito, si tempestates anni forent valdè regulares, nec unquàm notatæ magnis anomaliis.

Nusquàm hominum felicitas hucusquè accessit in regionibus nostris temperatis. Sed, pro incredibili accuratione strenui Hippocratis, generali Medicorum gratiâ digni, constanter apparet observatoribus, morbos magis familiares quatuor anni tempestatibus, eum affectare ordinem qui indicatur aph. 20, 21, 22 & 23. sect. 3, simodò attendatur ad computum Hippocraticum, cujus neglectu omnia fiunt incerta; mihique videtur præterea, caput præprimis graviter laborare autumno, ut & initio hyemis, pectus reliquo hyeme & vere, æstate abdomen : huncque ordinem satis constanter servari.

Nempè, ut observatum est aphorismis suprà dictis, scilicèt 20, 21, 22, & 23, sect. 3, *vere maniæ, melancholiæ, epilepsiæ, sanguinis profusiones ; anginæ, gravedines, raucitates, tusses, lepræ, impetigines, vitiligines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.*

Æstate autem, horum nonnulli, ac febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ : vomitiones etiam & alvi profluvia, ophtalmiæ, aurium dolores, oris exulcerationes, genitalium putredines, & sudamina.

Autumno verò, æstivorum plurimi, atque etiam quartanæ febres & erraticæ, lienes, hydropes, tabes, urinæ stillicidia, lienteriæ & dysenteriæ, coxendicum dolores, anginæ, asthmata, volvuli, comitiales, furores & melancholiæ.

Hyeme verò pleuritides, peripneumoniæ, gravedines, raucitates, tusses, dolores pectorum, laterum, lumborum & capitis; vertigines & apoplexiæ.

Quod attinet ad prognosim morborum qui, ut mox dictum est, solent accidere in regularibus constitutionibus tempestatum anni, & quoad certitudinem ordinis sub quo eos redire quotannis diximus, sic sancitum est aph. 8. sect. 3 : *In temporibus benè & ordine constitutis, cùm tempestiva tempestivè redduntur, morbi constantes & judicatu faciles sunt. In malè verò constitutis, inconstantes quidem, & judicatu difficiles.*

Enimverò attendere opportet, dari tamen insignes differentias inter morbosa producta duarum earumdem tempestatum quæ fuerunt apparenter similes, quales forent, ex. gr., duæ æstates similiter calidæ & siccæ, secundùm nostros Meteorologistas. Nam, in iis tempestatibus apparenter similibus, non semper accidunt iidem omninò morbi. Exemplo sint dysenteriæ, quæ mox permultæ prodibunt post æstatem, mox ferè nullæ. Hæc differentia mihi videtur pendere ab influxu alicujus causæ, quam ipse oculatissimus non detexit Hippocrates. Fortèque causa hæc abdita nihil aliud est, quàm varius influxus ignis electrici. Sed, quidquid sit de illâ nostrâ conjecturâ, quæ in posteris forsan comprobabitur per usum accuratum electrometri : jam videamus saltèm, quid sit intelligendum per tempestates malè constitutas, seu irregulares.

§. III.

Constitutiones tempeſtatum irregulares, & earumdem effectus.

Irregulares ſunt appellandæ tempeſtates anni, quandò eæ non utuntur meteoris ſibi congruis, ſed contrariis; tùm quandò præterea tempeſtas priori ſubſequens, pariter alterata eſt. Quandò, ex. gr., hyemi irregulariter conſtitutæ ſubſequitur ver irregulariter quoque conſtitutum, tunc dicitur hyems irregularis, ut & ver, & ſic porrò. Quæ diverſæ irregularium tempeſtatum conſiderationes nunc explanandæ ſunt.

Hyemis & veris irregularis conſtitutio.

Quod autem ad anni tempora (irregularia) (*a*) *attinet*, ut docetur, aph. 11. ſect. 3, *ſiquidem hyems ſicca & aquilonia, ver autem pluvioſum & auſtrinum, febres acutas, & ophtalmias, & dyſenterias, æſtate fieri neceſſe eſt, maximè mulieribus & viris naturâ humidis.*

Tunc enim corpora humana per hybernum frigus ſiccum & electricum ſiccata & conſtricta, facillimè combibunt madorem

---

(*a*) Sanè videtur aliquid omiſſum fuiſſe à Librariis in hoc aphoriſmo. Nonne enim Hippocrates, *aph. 19, ſect. 3*, apertè denunciavit morbos variorum anni temporum? Quidnì & iterùm egiſſet de anni temporibus alio in loco, niſi ſub diverſo reſpectu? Dùm igitur, *aph. 19 & quatuor ſequentibus*, agat de morbis tempeſtatum regularium, luculenter apparet eum locutum eſſe de morbis tempeſtatum irregularium in aphoriſmo 11°. Sed mihi apparet præterea, eum aphoriſmum numero undecimo perperàm ſanè collocatum fuiſſe à primis Librariis, qui ſparſa laceris ejus libris ſcripta primitùs collexerunt. Quinimò probabile eſt, omiſſum fuiſſe verbum *ò irregularia;* quo reſtituto, ſicut reſtituere tentavi, aphoriſmus longè doctior & accuratior evadit, necnon & longè clarior.

ſubſequentis veris pluvioſi, ſimul & auſtralis, illaque eodem madore obruuntur; quod fit præſertim, ſi nativa conſtitutio individui ſit laxa & humida, qualis eſſe ſolet in mulieribus & cæteris individuis naturâ humidis: idemque pariter dicendum de hominibus accidentali laxitate gaudentibus. In iis porrò omnibus, non mirum eſt moveri humores ita accumulatos, ubi ſupervenit calor æſtivus; imò attendenti etiam patebit, quòd iidem humores debeant præſertim æſtate moveri in ſyſtemate venæ cavæ, quandòquidem ibi ipſiſſima reſidet officina bilis, quæ ſanè quidem multò magis activa eſt per æſtatem. Quòd ſi æſtas non ſolùm ſubitò incaluerit illo tempore, ſed & ſi ea fuerit valdè tonitruoſa: tunc profectò prædictæ febres, ut & dyſenteriæ, multò frequentiores erunt, ſimul & multò graviores.

Prædictam eorum malorum aitiologiam ſequenti modo expoſitam legere eſt, lib. de aëre, aquis & locis, ſect. III. Foëſ. pag. 69. lin. 45 & ſeq. repetitis anteà verbis aphoriſmi mox citati : » Ubi enim, ab imbribus vernis & ab auſtro terra humectata » fuerit, & plenior æſtus derepentè ſupervenerit, tùm à terrâ » madidâ & calidâ exiſtente, tùm à ſole adurente, ardorem » conduplicari neceſſe eſt. Neque » enim ubi ver tale extiterit, fieri poteſt, quin corpus & » caro nimio humore diffluant, ita ut omnibus, ac maximè » pituitoſis acutiſſimæ febres immineant. Mulieribus verò & » naturis maximè humidis, inteſtinorum difficultates contingere » par eſt. Ac ſiquidem, ſub caniculæ exortum aqua & hyberna » tempeſtas ſupervenerit, eteſiæque (1) ſpiraverint, quietis ſpes » eſt, autumnumque ſalubrem fore. Alioquì periculum eſt nè » pueri & mulieres moriantur, minimè verò ſenes. Aut nè qui

(1) *Vent de nord-eſt.*

» evaserint, in quartanas incidant, & ex quartanis in aquam
» inter cutem.

Postquàm Hippocrates retulit effectus hyemis siccæ & borealis, cui succedit vel pluviosum & austrinum, exponit effectus hyemis pluviosæ, austrinæ ac tranquillæ, cui succedit ver siccum, ac ventis borealibus perflatum.

At si hyems austrina & pluvia, & placida fuerit, inquit, aph. 12. sect. 3; *ver autem siccum & aquilonium mulieres quidem quibus partus vere imminet, ex quâvis causâ abortiunt. Quæ verò pepererint, imbecillos & morbosos infantes edunt, ita ut vel statim intereant, vel invalidi & valetudinarii vivant. Cæteris autem mortalibus dysenteriæ & ophtalmiæ aridæ, oriuntur: senioribus verò catharri brevì interficientes.* Quod & multò longiori sermone docetur, lib. de aëre, aquis & locis, sect. III. Foës. pag. 70. lin. 8 & seq. Hyems enim pluviosa, austrina, & agitatione congruâ ventorum carens, præsertim fovet atmosphæram humidam, impuram, minùs electricam quàm par est. Consequenter, viventia corpora, (ea præsertim quæ laxæ naturæ sunt, ut mulieres), replentur humoribus aqueis, pituitosis, malè animalisatis; prætereàque solidorum compages summoperè relaxata, evadit valdè iners. Undè fit, ut apud prægnantes uterus obruatur similibus humoribus, & ut fœtus iis succis nutriti, debiles ipsi sint & invalidi. Fœtus autem sic constitutos molliùs adhærere ad uterum nonnisi naturale est; eâque ratione, eos levi de causâ separari ab utero, & abortum fieri, par est. Quod malum præsertim evenire debet accedente tunc vere boreali & sicco, ut mihi apparet, eò quòd vasa uteri & placentæ laxa & humore copioso turgida, nequeant perferre hanc stricturam citò accidentem, & naturæ suæ adeò oppositam, quæ à vere boreali & sicco inducitur. Nam imminutis hoc pacto

diametris

diametris vaſorum quibus adfertur nutritia fœtûs materies, deeſt ipſi ſufficiens alimonia; ideòque fœtûs radices neceſſariò tabeſcunt. Debilitantur & fœtus, ex eo quòd non ſolùm humores parciores ipſis ſubminiſtrentur ob viæ ſtricturam; ſed & quia ii humores aliundè ſunt peſſimè elaborati.

Porrò fœtus ſic nutriti, & naſcentes his in circumſtantiis, retinent ſolidorum conſtitutionem gracilem nativam, unâ cùm pravâ humorum idioſyncraſiâ; hæcque faciunt ut ii imbecilli vivant, aut facilè pereant poſt nativitatem ſuam; quia ſcilicèt conſtitutio hæc prava ſolidorum emendari ab iis nequit, ſicut nec humorum aquoſa temperies corrigi. Verùm, ſi naſcerentur ii infantes per æſtatem quæ ſubſequitur prædictam hyemis & veris conſtitutionem, tùm ii in arvo materno emendati anteà fuiſſent, unà cùm matre; ſicque inſtaurati naſcerentur feliciùs, & eſſent vivaciores.

De cætero, facilè intelligitur etiam, quarè ſimilis conſtitutio hyemis pluvioſa, auſtralis & placida, cui ſuccedit ver ſiccum & boreale, tantoperè noceat ſenibus? & quarè præſertim creet in eis catharros lethaliſſimos? Nam, cùm generaliter loquendo, *raucedines & gravedines in valdè ſenibus non coquantur*, ſicut monetur aph. 40. ſect. 2; ii catharri erunt à fortiori exitiales, qui oriuntur in hominibus jam naturâ ſuâ minimè perſpirantibus, qui prætereà duas ſucceſſivè patiuntur tempeſtates huic affectioni contrarias. Nonnè talia adæquatè opponuntur catharralis humoris concoctioni?

Nec difficiliùs concipitur quarè apud bilioſos contingant ophtalmiæ, ut & dyſenteriæ, tempore verno; hoc nempè fit ratione frigoris humores ad centrum pellentis: tùm quia bilis acer valet afficere oculos, ob affinitatem ſuam cùm lippitudine.

Undè quoque intelligitur, quarè *lippientem alvi profluvio corripi bonum?* ſicut docetur aph. 17. ſect. 6.

Irregularis conſtitutio æſtatis & autumni.

Quænam phœnomena ſanitatis exſpectanda ſint ex æſtate quæ, contrà ordinem ſuum ſolitum, ſicca eſt & borealis, cui ſuccedit autumnus pluvialis & auſtrinus, proindèque etiam conſtitutus irregulariter? docetur aph. 13. ſect. 3, his verbis: *Si verò æſtas ſicca & aquilonia, autumnus verò pluvius & auſtrinus fuerit, capitis dolores hyeme oriuntur, & tuſſes, & raucitates, & gravedines, nonnullis etiam & tabes.*

In conſtitutione enim ſiccâ & boreali æſtatis, adeòque minùs calidâ, valdè electricâ, & plurimùm deſiccante: humores in propriâ ſuâ mixtione veluti areſcunt, præſertimque bilis, quæ naturâ ſuâ oleosa eſt, & ſuâ ſponte aquam reſpuit; iique omnes prætereà majorem aliundè acrimoniam ſuſcipiunt, propter retentam quandòque perſpirationem, occaſione borealis auræ facilè ſtringentis fibras à præcedenti calore relaxatas.

Tunc, ſuccedente autumno pluvioſo & auſtrali, nedùm potiùs ille ſit ſiccus & borealis, humores per æſtatem præcedentem fabricati, facilè onerantur ſero quo carent, haud ſecùs ac ſpongia ſicca; indèque naſcitur pituita bilioſa valdè acer, capiti infenſiſſima, ut & pulmonibus. Hâc ratione, dùm adventat hyems, humores iidem aggrediuntur caput & pectus; ideòque naſcuntur peripneumoniæ, aut pleuritides ſpuriæ, raucedines, necnon & tabes apud quoſdam; tùm etiam cephalalgiæ graves. Quinimò, (ex eo quòd, ſub finem autumni ſimiliter conſtituti, ſæpè, poſt toleratos dolores capitis, accidant apoplexiæ fortiſſimæ mortem ſubitiſſimam inferentes), miror quòd D. Boſquillon, ſicut alii multi,

ex citato aphorismo expunxerit *sphacelismum cerebri*, ab eâ constitutione oriundum. Nam, (ut notat Foësius in œconomiâ Hippocraticâ, ad verbum *tò sphacelus*), vox illa, secundùm Hippocratem, significat syderationem seu corruptionem cerebri, à quâcumque causâ inductam; quandòquidem ille utitur eâ expressione pluribus in locis, sicut præsertim spectabile est libro de aëre, aquis & locis, sect. III. Foës. pag. 70, lin. 33, ubi aphorismus prædictus habetur conscriptus ut sequitur: *At si æstas sicca & aquilonia fuerit, autumnus verò pluvius & austrinus, sub hyemem capitis dolores & cerebri syderationes (Græcis sphacelismi), fieri par est, ac prætereà raucedines, gravedines, & tusses, & nonnullis quoque tabes.*

Quemadmodùm verò æstas borealis & sicca, quæ præcedit autumnum pluvium & australem, valet peculiares producere morbos: ita & suos invehit æstas, in quâ auster & pluviæ dominantur, cui autumnus similiter austrinus & pluviosus succedit. Enimverò, constitutio hæc irregularis, quæ tamen satis frequenter observatur, omissa fuit in aphorismis. Sed non dubito id factum fuisse errore Librariorum; hancque omissionem prætervideri à plerisque Lectoribus, præ negligentiâ & oscitantiâ quæ ut plurimùm admittuntur in lectione scriptorum hujus Medici; constitutio enim illa irregularis sequenti sermone descripta habetur, post alias constitutiones irregulares, lib de aëre, aquis & locis, sect. III. Foës. pag. 70, lin. 29 & seq. *Si verò æstas pluviosa sit & austrina, & autumnus similiter, morbosam esse hyemem necesse est, iisque qui pituitâ abundant, & quadragesimum annum excesserunt, febres ardentes contingere æquum est, biliosis verò morbos laterales, & pulmonum inflammationes.*

Simili equidem æstatis constitutione laxantur fibræ, humoresque nimis serosi remanent & fiunt magis proni ad putredinem,

ſicut facilè concipitur. His porrò malis à tali æſtate procreatis autumnus profectò occurreret, ſi foret ſiccus & frigidus. Sed cùm, è contrà, humidus ille ſit & auſtralis, proindèque electrico igne æquè pauper ac prægreſſa æſtas, & cùm incongruenter refrigeratus ſit : nedùm arceat putrorem imminentem ab æſtate prægreſsâ, eum potiùs fovet, aut pravam ſaltem invehit humorum viſcoſitatem. Conſequenter non mirum, ſi tunc temporis, adventante hyeme tradantur morbi in textu prædicto recenſiti, ſecundùm varias individuorum naturas, quæ ad eos contrahendos diſponunt; nempè morbi pituitoſi, pituitoſis: febres validæ, ab atrabiliari & pituitoſo humore oriundæ, hominibus quadrageſimum ætatis annum trangreſſis : & demùm, morbi pectoris inflammatorii bilioſi, hominibus bilioſæ temperiei mediam ætatem agentibus, ſicut præſagiendum eſſe docetur loco mox citato. Similia autem, per hyemem anni 1784, apprimè experti ſumus, in pleriſque hujus Provinciæ locis:

Irregularis quoque æſtas ſola obſervatur; quandòque enim illa veri ſimilis eſt. Tunc in febribus copioſi ſudores exſpectandi ſunt, ex aph. 6. ſect. 3; quia nempè, ob minorem hujus tempeſtatis calorem majori humiditati adjunctum, fit major proventus humiditatis ſeroſæ in humoribus noſtris.

IRREGULARIS conſtitutio ſolius autumni.

IN conſtitutionibus regularibus, poſt ætatem ſiccam & calidam ſi ſequatur autumnus regularis quoque, qui ſcilicèt ſubfrigidus ſit & ſiccus, tunc contingit mutatio utilis corpori humano. Talis enim autumnus valet juvare, 1°. in quantùm pars flava ſanguinis jam minùs exaltatur propter minorem calorem; 2°. quia pars humida ciborum non tam facilè diſſipatur tunc temporis, propter frigus externum. Idcircò autumnus naturaliter debet temperare acrimoniam bilis, adeòque exercere vim quamdam antidotariam, reſpectu effectuum generalium æſtatis præcedentis.

Si verò aquilonius ſit & ſine pluviis autumnus, ſecundùm aph. 14, ſect. 3; (id eſt, ſi autumnus ſit frigidior ſimul & ſiccior), *viris quidem qui natura ſunt humidi, & mulieribus proderit : reliquis autem ophtalmiæ erunt ſiccæ, & febres acutæ, & longæ, nonnullis etiam melancholiæ.*

Quæ ſententia, de conſtitutione irregulari autumni, repetita & ſequenti modo explicata legitur lib. de aëre, aquis & locis, ſect. III. Foëſ., pag. 70, lin. 35 & ſeq. « Quòd ſi aquilonius & » ſiccus fuerit autumnus, ac neque ſub canem, neque ſub arctu- » rum pluvioſus, pituitoſis quidem, præcipuè naturâ humidis » & mulieribus maximè confert; bilioſis verò hoc eſt maximè » adverſum. Admòdùm enim reſiccantur; iiſque lippitudines » aridæ contingunt, & febres acutæ ac diuturnæ, quibuſdam » etiam melancholiæ. In bile namque quidquid eſt humidiſſimum » & aquoſiſſimum conſumitur, quod verò craſſiſſimum & acerri- » mum remanet, quod in ſanguine eâdem quoque ratione accidit, » undè ii morbi illis contingunt. Pituitoſis verò hæc omnia au- » xilio ſunt. Reſiccantur enim, & ad hyemem perveniunt, ab » aliis temporibus invicem ſuccedentibus reſiccati.

Sed ad concipiendum quid præcisè intelligendum ſit de autumno boreali qui pluviis omninò deſtituitur; tùm quarè & quomodò ille noceat? attendere oportet, quòd tempeſtas quælibet quæ dicitur ſicca, deſignet ſolummodò tempeſtatem unam in quâ ſiccitas duntaxat prædominetur : minimè verò tempeſtatem quæ pluviis omninò careat, ſicut in aphoriſmo mox citato dicitur autumnum iis caruiſſe. Conſequenter, autumnus borealis & carens pluviis, nequaquâm dici debet autumnus ſiccus & frigidus : ſed autumnus ſiccior, qui ſimul eſt frigidior in fine, ſiccior autem & calidior ſub initiis.

His præmiſſis, conceptâque allati aphoriſmi explicatione,

facilè resolvitur ratio cur autumnus aquilonaris & siccior, (qui nempè simul est calidior sub suis initiis, & frigidior in fine), faveat mulieribus & aliis individuis naturâ suâ humidis & laxis. Nec obscuriùs intelligitur quarè, è contrà, ille autumnus noceat individuis biliosis, atrabiliosisve: nempè quia individua hæc jam sicciora sunt, & quia atrabiliaris acrimonia eorum adhuc acuitur. Hìnc autem facilè scaturiunt melancholiæ, tùm ophtalmiæ siccæ, ut & febres acutæ, simul & longæ; quæ mala idcircò contingunt apud robustiores homines, constitutione siccâ & biliosâ donatos.

§. IV.

Constitutiones quotidianæ.

Notari etiam merentur quædam determinatæ dierum constitutiones, quæ valdè dissimiles sunt à præcedentibus & subsequentibus diebus, præsertim quoad flatum ventorum, ut & quoad frigus & calorem. Quoniàm enim corpora tunc per certum tempus experiuntur subitam actionem ventorum oppositorum, aut actionem caloris subitò succedentis frigori: ea corpora necessariò accipiunt exindè mutationem valdè notabilem.

Solemne siquidem est apud observatores, non solùm quòd morbi inexspectati sæpè nascantur hâc occasione: verùm etiam quòd eâdem de causâ peculiares incidant mutationes in ipsismet morbis actu existentibus. Sæpè enim videre est contingere, ex gr., pleuritidem verè inflammatoriam in die unà valdè aquilonari æstivâ; sicut quoque videtur tunc fieri multò agiliores homines, qui tamen, diebus austrinis præcedentibus, languidissimi erant: & vice versâ, &c. Quæ omnia quotidianarum constitutionum phœnomena hoc modo comprehenduntur aph. 17. sect. 3: *Quotidianæ autem constitutiones aquilonariæ corpora densant, valen-*

tiora, expeditiora, coloratiora, & meliùs audientia reddunt, sed & alvos exsiccant, oculosque mordent; & si in pectore dolor aliquis priùs extiterit, magis dolent ægri. Austrinæ autem corpora exsolvunt & humectant, auditum obtundunt, caput gravant, vertigines oculis movent, corporibus difficilem motionem inducunt, & alvos humectant.

Aliquandò etiam, non solùm intrà durationem ipsam diei unius, accidit satìs magna, eaque & multiplex mutatio caloris & frigoris; sed & talis anomalia quandòque dominatur per unam tempestatem integram, quæ ideò multùm valet quoque ad producendos morbos: non solùm sporadicos, sed & populares. Nam constitutio hujus tempestatis ideò degenerat in constitutionem irregularem sui generis, quæ gignit morbos proprios illi tempestati ad quam magis accedit. Propterea, *per anni tempestates, quandò eodem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectato*, ex aph. 4. sect. 3; quia nimirùm homines afficiuntur ab illâ dierum irregularitate dominante per quamdam tempestatem, perindè ac illi afficerentur ab autumno, ad quem prædicta dierum constitutio magis accedit.

Quod dictum est de prædictis dierum constitutionibus singularibus, pariter annotandum foret de varietatibus singularibus eorum quoad electricitatem athmosphereæ. Hanc enim de die in diem toto cœlo quandòque mutari certum est; sed desunt sufficientes observationes. Ideòque, donec illæ habeantur, saltem reminiscendum, constitutionem dierum borealium multò magis electricam esse, quàm australium.

§. V.

CONSTITUTIONES *annuæ, aliæque constitutiones extensæ.*

CONSIDERARI etiam debent constitutiones annorum, quatenùs ipsæ sunt regulares, aut irregulares. Regulares, inquam,

quandò annorum tempestates regulares sunt; irregulares verò, quandò anni constant tempestatibus irregularibus.

Regulares annorum constitutiones eos potissimùm morbos creabunt, qui referuntur aph. 20. 21. 22 & 23. sect. 3. Sed irregulares, pro suâ singulari specie, inducunt varios affectus; in quantùm indè adducitur vitiosa aliqua constitutio hominum, prout ii naturaliter disponuntur ad illam: aut prout ad eamdem jam anteà inclinarunt per aliquod accidens.

Porrò, ad æstimandam constitutionem anni irregularem, & ad prævidendos effectus ejusdem, consulantur ea quæ in hunc sensum scripta sunt, lib. de aëre, aquis & locis, sect. III. Foës. pag. 69. lin. 36 & seq. « De annis autem, hoc modo » consideratione adhibitâ quis statuat qualisnam annus futurus » sit, numnè salubris, aut morbosus? Siquidem secundùm » rationem in syderum ortu & occasu signa appareant, si per » autumnum pluat, & hyems sit moderata, neque admodùm » blanda, neque præter modum frigida, & vere ac æstate » aquæ tempestivæ eveniant, sic annum saluberrimum esse » consentaneum est.

Sed quotiès accidit, ut mutetur ille ordo! quotiès annus fit in toto siccior, aut humidior! Hanc potissimùm anni anomaliam incusamus, quia videtur aberrationem illam præprimìs celebratam fuisse ab Hippocrate ipso, saltèm quantùm nobis conjicere licet ex iis quæ ad nos pervenerunt in sectione tertiâ aphorismorum. Dicit enim, aph. 15. hujus sectionis: *ex anni autem constitutionibus, in totum, siccitates assiduis imbribus sunt salubriores, minùsque lethales.* Quæ medica assertio apertè indicatur, in eo quòd longè periculosiores & numerosiores sint ii morbi qui per imbres assiduos exoriuntur, quàm qui per siccitates. Nam, ex aph. 16 ejusdem sectionis, *per assiduos*

imbres

imbres morbi quidem magnâ ex parte oriuntur; cùm febres longæ, tùm alvi fluxiones, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ & anginæ, Per siccitates autem tabitudines, ophtalmiæ, arthritides, urinæ stillicidia, & dysenteriæ.

Denique, datur etiam quandòque constitutio extensa, nempè ubi aliqua constitutio tempestatis prorogatur in tempestatem subsequentem. Tunc autem iidem morbi grassantur per similes illas tempestates successivas, sicut docetur aph. 7. sect. 7, his verbis: *Per siccitates, febres acutæ fiunt. Et siquidem annus magnâ ex parte talis extiterit, qualem constitutionem effecerit, tales ut plurimùm quoque morbos exspectare oportet.* Quinimò, iidem quoque morbi regnarent per duos annos successivos, si isti fortè similes forent inter se; prætereàque notatur, ex aph. 6, sect. 7, sudores in febribus copiosos exspectandos esse, quandò constitutio verna ipsammet occùpat æstatem, sicut jam traditum est, pag. 36.

ARTICULUS II.

Signa inferenda ex actuali sanitate individuorum.

Rem utilem fieri tandem posse nocivam, nemo negabit; nec Medicus attentus diffitebitur, creari morbos varios ab ipsâ sanitate quandò illa provecta est ad summum gradum, nisi quædam cautela adhibeatur.

Sanitatis perfectæ pericula exponit Hippocrates, aph. 3. sect. 1, ibi statuendo, quòd cùm non liceat optimo corporis habitui in melius augeri, sicut nec stare in eodem statu, necessum sit ipsi tunc ruere in deterius, nisi solvatur illicò perfectus ille habitus, ad hoc ut vitæ vires impendi rursùm valeant in corpore reficiendo.

Si verò immineant morbi ab ipsâmet sanitate perfectiore, ut

videtur exemplo athletarum, de quibus mox: à fortiori imminebunt hominibus tantùm apparenter ſanis. Sed dicere ac præſagire quænam ægritudines pertimeſcendæ ſint variis individuis, hoc pendet ex cognitione variarum conſtitutionum in ſingulis hominibus ſpectatarum.

Cùm enim quiſque homo ſanus ſit ſuo modo, pro variâ ſuâ habitudine ſeu temperie propriâ, quiſque etiam ſuo modo ſit ægrotans; adeò ut unus ægrotet per actionem communium cauſarum, à quibus curaretur alter: aut quibus irritis, unus tertius ſaltèm benè valeret. Undè patet ratio cur morbi populares non omnibus ſimul hominibus pariter accidant; & cur, dùm viget aliquis morbus popularis, nihilominùs quoque appareant hìnc indè varii morbi ſporadici, ſeu miſcellanei. Conſequenter conſiderandæ ſunt communes conſtitutiones hominum varias ætates agentium; ad hoc ut prævideatur quibus morbis ii affici poſſint, necnè. Sed facilè concipitur, ſermonem hunc nequaquàm pertinere ad morbos illos qui pendent ab aliquibus circumſtantiis accidentalibus, qualia ſunt intemperantia, lapſus, ictus, vulnus, &c. Loquimur duntaxat de morbis, qui varios homines infeſtant efficaciâ variarum tempeſtatum, regionumque, & vivendi rationum.

Quicumque autem futurus morbus fuerit, generale quoddam habetur indicium quo renunciatur eum jam proximè imminere, imò & forſan eum jam aliquatenùs incœptum eſſe. Quod ſignum conſiſtit in quodam ſenſu gravitatis corporis, ſeu laſſitudinis, qualis percipitur poſt magnas fatigationes. *Laſſitudines ſponte obortæ morbos denunciant*, ut fertur aph. 5. ſect. 2. Quin etiam prævideri poteſt aliundè, quænam corporis pars præſertim afficienda ſit. Nam, ex aph. 33. ſect. 4, *ſi pars quædam antè morbum laboraverit, in eam ſe morbus obſirmat*; & prætereà,

ſequentibus ſignis ſæpè deſignatur pars jam affecta : *quâ parte corporis ſudor ineſt, ibi morbum eſſe ſignificatur*, inquit Hipp. aph. 38. ſect. 4 ; aphoriſmo proximè ſequenti addendo, *& quâ corporis parte calor ineſt, aut frigus, ibi morbus eſt.*

Quoniàm verò hìc præſertim conſideranda ſint ſigna quæ præbentur ab actuali ſanitate hominum, præcipuè annotanda ſunt illa quæ pendent ex vario ſtatu eorum habituali quoad humores & quoad ſolida ; ſeu, quod idem eſt, à variâ temperie eorum. Non enim omnes homines ſibi ſimiles ſunt, etiam in eâdem ætate, tùm quoad ſenſum, tùm quoad irritabilitatem, tùm quoad naturam copiamve humorum. Alii multo ſanguine onerantur : alii atrâ bile : pituitâ alii. In iiſque ſingulis diverſa eſt conditio ſolidorum, diverſa pathemata animi, adeòque diverſa morborum occaſio.

Conſequenter, ad ſtabiliendam artem prævidendi futuros morbos, ſimul & cognoſcendi caracteres morborum præſentium, fas eſt, poſt Hippocratem, diſtinguere quatuor peculiares conſtutiones corporum ; ſanguineam ſcilicèt, bilioſam, atrabilioſam, & pituitoſam : quæ totidem paragraphis nunc veniunt exponendæ, non omiſſis conſtitutionibus extenſis paragrapho quinto exponendis.

§ I.

CONSTITUTIO SANGUINEA.

CONSTITUTIO ſanguinea dicitur hic ſtatus in quo ſanguis copioſus eſt, ſufficienter denſus & dives, ideòque pronus ad contrahendum calorem inſolitum, inſolitamve denſitatem ; aptus conſequenter ad producendos morbos inflammatorios, ſi occaſio dederit.

Naturaliter hæc conſtitutio valdè confert ſanitati corporis &

animi. Propria est pueris & adolescentibus, sed imprimis ætati juvenili, necnon & virilitali incipienti; nam illa sequitur eos status vitæ, in quibus datur sensus major, ut & major irritabilitas. Talis constitutio sanguinis fovetur quidem à victu congruo, unà cum congruis exercitiis. Sed maximè producitur ab illâ tempestate anni quæ magis favet robori corporum viventium, sicut & fami, necnon somno & quieti : qualis est hyems. Confer. aph. 15, sect. 1æ.

Idcircò cognoscitur constitutio sanguinea, ab ætate puerili usquè ad mediam virilitalem, præsertim, si simul detur robusta valdèque sensibilis corporis fabrica, congruens victus, congruens regio, congruentesque exercitationes & habitationes. His signis addi debet pulsus satis fortis, nonnihil durus & celer : sæpèque crusta illa alba, dura, coriacea, gallicè dicta *la couenne*, quæ apparet in superficie sanguinis refrigerati post venæ sectionem; tùm addendi morbi inflammatoriæ prosapiæ, aut præsentes, aut jam anteà tolerati; sed considerandus est imprimis major numerus juvenum ægrotantium, quàm numerus ægrorum qui alias agunt ætates : & simul consideranda regularis constitutio hyemis prægressi; nam observare licet, quòd singulis annis soleat constitutio inflammatoria regenerari per talis hyemis efficaciam; & quòd ea abhinc plerùmque vigeat usquè ad mensem Junium inclusivè, si ver subsequens fuerit etiam regulare, ut & æstas ipsi successiva.

Hâc ratione non mirum, quòd labente hyeme, sanguinea constitutio sensim abeat in inflammatoriam, eò quòd sanguis paulò nimis densetur per tempus illud, aut acquirat simul singularem qualitatem irritantem, quâ mediante stringantur partes solidæ. Indèque colligere datur, quarè soleant morbi inflammatorii populares quotannis regularibus vigere à fine De-

cembris; præsertim sævire mense Februario & Martio ; atque sese exporrigere usquè ad mensem Junium inclusivè, quousquè scilicet incipiat constitutio biliosa.

Dùm verò incipit inflammatoria constitutio, ea tantùm catharralis est, propterea quòd aliquid adhuc retineat de humiditate hybernâ; hæcque ratio est cur, antè morbos inflammatorios, semper magis vel minùs vigeant morbi catharrales dicti, qui aliquandò populariter grassantur per tempestatem inflammationi propriam: nempè, quandò debilior est dispositio inflammatoria.

Quemadmodùm autem incipiens inflammatoria constitutio catharralis est dùm tempestivè tempestiva fiunt: ita & illa desinit sensim abeundo in biliosam efficaciâ æstatis; æstas enim minùs idonea est collectioni sanguinis copiosi, simul & minùs apta fovendæ sensibilitati & irritabilitati solidorum : eaque suâpte sponte valet adaugere partem sanguinis flavam. Undè jam concipitur quarè, dùm æstas sic finem facit constitutionis inflammatoriæ, sensim accersat constitutionem biliosam, de quâ mox dicturi erimus.

Quandò verò tempestas hyemalis non omninò conduceret, unà cum vere, ad producendam veram constitutionem inflammatoriam, sequens observatio attendenda venit. Sciendum quòd, ab illius ordinariâ epochâ, febres catharrales quæ his temporibus incidunt, magis vel minùs participent inflammationem. Quod ita censendum est, tùm de febribus humoralibus simplicibus, aliter vocatis nomine synochorum non putridarum, tùm de aliis cæteris morbis febrilibus. Nam talis est tendentia naturæ, ut semper ea tunc inclinet versùs inflammationem. Sed hâc occasione annotabimus, quòd hæc participatio inflammationis valdè sit variolis vernis infensa, si paulò major fuerit; nam indè turba

oritur major in præparatione & separatione variolarum, sicut & in earum suppuratione, seu expulsione.

Hoc adhuc imprimis considerandum venit circà genium inflammatoriæ constitutionis, nempè eam præsertim donari aliquâ specificâ virtute ad irritandam telam cellularem, simul & ejusdem vasa; eamque ideò non decumbere nisi in textu cellulari.

Propterea non mirum præprimìs inflammari partes omnes cellulares, prout illæ magis vel minùs aptæ sunt ad irritationem inflammatoriam suscipiendam; qualia sunt interstitia musculorum, textus cellularis mesenterii, & pars cellulosa cæterorum viscerum & membranarum. His enim in locis semper sedet officina suppurationis, quâ tàm sæpè terminatur inflammatio.

Ex dictis de genio inflammatoriæ constitutionis datur resolvere, cur morbi populares inflammatorii soleant parcere pueris, ut & tenerioribus adolescentibus: dùm sæviunt ergà juvenes, & ergà viros juventuti proximos. Quàmvis enim infantes præprimis sanguine multo polleant, ut & teneriores adolescentes: cùm simul gaudeant majori laxitate & ductilitate solidorum, nunquàm in illis facilè creatur densitas sanguinis inflammatoria, sicut nec irritatio indè oriunda; neque etiam illi unquàm adeò afficiuntur à copiâ sanguinis, quantùm afficiuntur juvenes, ut & viri juventuti proximi. Nedùm pueri graventur à sanguine copioso, ii potiùs ab illo benè se habent, quatenùs indè obtinent causam & materiem debiti incrementi.

Juvenes è contrà & viri, (quorum solida multò firmiora sunt & qui non indigent tanto sanguine), nequeunt illius augmentum nimium impunè perferre. Idcircò in iis facilè sanguis alteratur & acquirit inflammatoriam densitatem; adeòque capax fit irritare textum cellularem, & in eo facere decubitus inflammatorios.

Deniquè ex iisdem rationibus etiam intelligitur, quarè,

irritâ ætate juvenili, ut & virili, irritâque tempeſtate aptâ ad gignendam conſtitutionem inflammatoriam, plurimi homines nuſquàm tententur inflammatoriis morbis, aut ſaltèm iis corripiantur multò levioribus. Quia nempè plurimi homines ſunt, apud quos ſanguificatio tardior, aut debilior eſt, ſimul & minus robur minorque ſenſibilitas organorum : propter peculiarem rationem vivendi, vel alia quædam adjuncta.

Similiter, ſenes inflammatoriis morbis raró laborant; nam ii plerùmque pituitoſi exiſtunt, aliundèque habent organa minùs ſenſibilia & minùs irritabilia; ſed concipitur eos indè aptiores eſſe ad patiendas ſtaſes ædematoſas. Secùs enim, datâ ſemel inflammatoriâ conſtitutione populari, ſenes, pariter ac juvenes & viri, affligerentur inflammatorio morbo tunc temporis populariter graſſante. Quæ ratio de cæteris quoque epidemiis ſimiliter reddenda eſt, mutatis mutandis, reſpectu variarum conſtitutionum popularium.

Quamvis verò conſtitutio aliqua ſanguinis dicatur inflammatoria, quatenùs ſubminiſtrat ſtimulum quemdam inflammatorium, præcipuèque materiem facillimè inflammandam quæ requiritur in inflammatione legitimâ & per excellentiam : minimè putandum eſt nullam gigni inflammationem, niſi ab illâ conſtitutione. Aliæ enim ſunt inflammationes, ex. gr. œdematoſæ : tùm aliæ bilioſæ, putridæ, facilèque gangrenoſæ : aliæque demùm ſymptomaticæ aut criticæ variæ : quæ aliam profectò cauſam, tùm determinantem, tùm materialem agnoſcunt, ſicut explicabimus ubi de inflammatione.

§ II.

Constitutio biliosa.

Biliosa conſtitutio illa eſt, in quâ redundat pars flava ſanguinis quæ vera eſt bilis materies, & quæ videtur procedere ex globulis rubris quaſi ſeneſcentibus, ut ita dixerim; id eſt, ex cruoris globulis nimiùm detritis, in mixtione ſuâ alteratis, atque cum ſalibus obviis & pinguedine valdè attritâ unitis.

Talis conſtitutio præſertim generatur apud viros firmatos, necnon in juvenibus robuſtis, varias ob cauſas. Nempè 1°. propter abuſum ciborum pinguium, aut ex animali regno depromptorum. 2°. Propter majorem edacitatem. 3°. Propter peculiarem accidentalemque affectionem, cùm humorum, tùm ſolidorum, quæ præſertim inducitur ab exercitiis validis, ut & à caloribus externis. 4°. Propter quamdam cauſam capacem impedire liberam bilis ſecretionem & excretionem. 5°. Deniquè, propter efficaciam æſtatis regularis quæ omnium prædictarum cauſarum magis potens eſt, magiſque generalis: quâ ideò quotannis ſolet induci conſtitutio bilioſa, quæ per æſtatem ſuccedit abeunti conſtitutioni inflammatoriæ.

Licet igitur ſuſpicari conſtitutionem bilioſam, 1°. ex ætate juvenili vegetâ, præſertimque ex firmatâ virilitate. 1°. Ex flavedine & gravitate corporis. 3°. Ex urinis flavis & parcioribus. 4°. Ex prægreſſo abuſu pinguium ciborum. 5°. Ex nimiis exercitationibus, tempore æſtivo præſertim ſumptis, aut in loco valdè concalefacto. 6°. Ex tolerato morſu quorumdam animantum venenatorum; aut ex exantlato quodam animi motu, qualis eſt ira, vel mœror acerbus. 7°. Ex toleratis anteà febribus

æſtivis.

æſtivis popularibus. 8°. Ex pravo ſtatu hypocondriorum. 9°. Deniquè, ex labente aut prægreſsâ æſtate regulari.

Copioſiorem bilem generari efficaciâ æſtatis, nequaquàm mirabile eſt. Poſtquàm enim æſtas ſatis diù viguit, partes corporis ſolidæ neceſſariò reſiccantur, debilitantur, fiuntque minùs ſenſibiles atque irritabiles. 2°. Pinguedo animalis continuò eliquata, & funditùs diffuſa per humores omnes, nonnihil forſan areſcere cogitur, & combinatur cum moleculis ſalinis obviis. 3°. Tota maſſa ſanguinis retinet minorem copiam aquei principii, quàm per aliud quodcumque tempus anni: ideòque aliquam veluti ariditatem ſimul contrahit, fortè ſuſcipiendo nimiam copiam ignis electrici; quibus fit ut accedat ad naturam reſinoſam. Porrò, cùm in hiſce circumſtantiis ſanguis celeriùs attingat ſummum animaliſationis gradum, pars ejus rubra magnoperè detrita & electrica, diſſilit veluti in fruſta quæ abeunt in bilem valdè copioſam, mediante unione ſuâ cum moleculis pinguedinoſis, ſalinisque ſimiliter attritis; adeò ut maſſa humorum neceſſariò oneretur maximâ copiâ bilis. His etiam adde, quòd in tubo alimentari generetur quoque ſingularis colluvies, ſeu ſaburra, quæ bilioſa dicitur ob colorem & ſaporem bilioſum. Quæ ſaburra formatur ex peculiari degeneratione ciborum valdè pinguium, qualis præſertim accidit tempore æſtivo; quæ ſæpè vireſcit propter miſcelam vegetabilium rerum; & quæ forſan quoque conducit ad gignendam in ſanguine colluviem bilioſam. Sed hæc imprimis colluvies pendet à cauſis ex tempeſtate æſtivâ deſumendis, ſicut mox diximus.

Jam verò præſentem eſſe bilioſam conſtitutionem popularem conjicere licet, quandò labente *ſecundâ* æſtate exoriuntur morbi bilioſi; tunc enim incipit potiſſimùm regnare vera *ſynochus* putrida, aliter dicta *typhus* veterum. Sed circà menſem Au-

gustum, sæpiùs ingruit cholera morbus, & deindè saltèm accedit febris biliosa, dysenteria, erysipelas biliosum, tùm febres intermittentes.

Quinimò, notandum morbos sporadicos varios tunc temporis incidentes, semper magis vel minùs participare constitutionem biliosam; sicut jam observavimus ergà morbos sporadicos, qui concurrunt cùm constitutione inflammatoriâ populari, aut qui saltèm accidunt eo tempore quo solet hæc constitutio locum habere.

Semel enatâ biliosâ constitutione, observatur eam plerùmque regnare ad usquè mensem Novembrem. Sed optimè norunt Medici, quòd tunc serventur immunes à grassantibus morbis sobrii homines qui oleribus indulgent & indulserunt; & quòd imprimis serventur infantes, ut & molliores mulieres : tùm ii juvenes & viri quorum temperies humidior est, & tardior animalisatio. Quibus addi etiam debent ii qui acidum assiduò eructant; quos omnes rarò admodùm tentari pleuritide docetur aph. 33, sect. 6, nec immeritò. Hæc enim assertio convenire videtur pleuritidi cùm legitimæ, tùm biliosæ. Legitimæ, inquam, quatenùs hæc pleuritis aliena est ab acido, utpotè quæ erysipelatosa sit, atque ideò biliosam sapiat naturam : biliosæ verò, & quidem præsertim, propthereàquòd ista longiùs adhuc recedat à qualitate acidâ, quâ formationem bilis refrænari certum est.

De cætero notandum restat 1°. quòd biliosa constitutio suâpte naturâ valeat afficere & irritare strictiorem faciem membranarum, sicut diximus textum cellularem laxiorem præprimis affici ab inflammatoriâ constitutione. 2°. Quòd fomes biliosarum febrium præsertim sedeat in systemate abdominali.

§. III.

Constitutio atrabiliosa.

Ubi desinit constitutio biliosa, nempè circà mensem Novembrem, ibi incipit constitutio atrabiliosa dicta. Hæc formatur eò quòd jam tunc non ampliùs redundet flava bilis, sat diluta, maximæque acrimoniæ expers; sed bilis acer & terrestris facta, quæ colore suo saturatè flavo accedit ad nigredinem. Talis fuit opinio Veterum, post Hippocratem, quam Recentes quidam ignoranter neglexerunt, ac vituperarunt.

Prædictæ bilis qualitates producuntur ab autumno, propter singularem concentrationem quam tunc illa contrahit mediante ulteriori dissipatione principii sui aquei tunc accidente, simul & propter aliquam stricturam solidorum quæ novas frigoris impressiones sequitur. Autumnus enim tempestas est sicca & frigida, si in toto spectetur, irritis pluviis aliquibus quas tunc cadere congruum est: irritoque calore diurno prioris partis ejus, qui abundè compensatur nocturno frigore quo non solùm noctes occupantur in fine autumni, sed & dies ipsimet. Undè, nedùm autumnus emendet siccitatem fibrarum, & nedùm restituat aquam bili ablatam ab æstate prægressâ, potiùs ille valet bilem magis ac magis resiccare & acrem reddere, solidis simul constrictis nonnihil, ideòque aptioribus factis ad actionem potentiorem exercendam.

Ratione naturæ suæ, constitutio atrabiliosa præsertim infesta est systemati hypocondriorum, quoniàm illud præprimis oneratur tali materie. Ideòque, si materies illa ibi aliquandiù hæserit, ea valet vario modo perturbare digestiones, à quibus producuntur febres atrabiliares hybernæ, tàm continuæ, quàm

intermittentes. Quandò verò idem humor mirabiliter irritat varios plexus nerveos abdominis, tunc producit affectus melancholicos varios; vel si ad cerebrum feratur, producit lethales apoplexias, seu sphacelismos cerebri ineunte hyeme accidentes; vel & sæpiùs pulmones aggreditur, ob frequentem concursum facilemque complicationem humoris atrabiliosi cum humoribus pituitosis: ideòque tunc nascuntur spuriæ peripneumoniæ benè multæ.

Talis constitutio durare solet per mensem Novembrem, Decembrem & Januarium, si hyems serena fuerit. Sed si hyemis initia nubila fuerint & pluviosa, tunc sæpè contingit, ut à fine Novembris jam incipiat apud senes constitutio pituitosa, de quâ mox acturi sumus. Quinimò sæpè quoque videre est, quòd à fine Decembris, seriùs ociùsve, ortum ducat constitutio inflammatoria apud homines sanguineâ temperie donatos.

Secundùm ea quæ diximus de ortu bilis atræ, constitutio atrabiliosa præsens cognosci potest ex prægressâ biliosâ constitutione æstatis, quam excipit autumnus regularis. Sed ea præsertim agnoscitur, quandò tunc temporis major numerus ægrotantium habetur inter individua ætatis virilis, & ultra-virilis. Nam morbi atrabiliares mox relati, præprimìs aggrediuntur viros firmatos, necnon & crudos senes, dùm ii aliis ætatibus parcunt. Parcunt autem præcipuè pueris, adolescentibusque, juvenibusque. Sed nonnullæ effœtæ mulieres passim quoque tentantur; quoniàm aliquæ earum tunc accedunt nonnihil ad constitutionem virilem.

De cætero, morbi quilibet sporadici qui sub hâc constitutione accidunt, semper de illâ quidpiam habent, sicut dictum est de constitutione sanguineâ, & de biliosâ. Id præsertim no-

tatur apud homines quorum propria natura biliosa est, & qui ideò paululùm semper inclinant versùs constitutionem atrabiliarem, mediante actione causarum communium autumnalium.

§. IV.

Constitutio pituitosa.

Pituitosa constitutio ille est status, in quo humorum massa scatet nimio muco crudo, magis vel minùs seroso & tenaci, eòque præcipuè magis vel minùs acri, pro vario connubio suo cum atrabiliari humore, cum quo facillimè concurrit & conjungitur.

Generatur talis constitutio ex impeditâ sufficienti elaboratione partis mucidæ ciborum, sicut senibus præsertim familiare est; sed ea potenter fovetur adaugeturque, ob præcipitem nimiamque intussusceptionem principii humidi hyemalis. Eo siquidem annihilatur beneficium ignis electrici; valdèque probabile est, ab eodem principio humido simul solida relaxari, atque fieri inertia: consequenter, abhinc quoque humores evadere nimis serosos, vappidos, necnon inertes.

Cognoscitur pituitosa constitutio popularis, præsertim ex australi humiditate hyemis, potissimùm contingentis post sicciorem autumnum. Cognoscitur etiam ex frequentiâ majori morborum senes aggredientium, simul & infestantium ipsos viros debiliores, aut habituali sputorum mucosorum exscreationi obnoxios. Cujus ultimæ peculiaris constitutionis quamdam diagnosim & prognosim videtur tradidisse Hippocrates, dicens aph. 2, sect. 6: *Quibus nares naturâ sunt humidiores, & genitale semen liquidum, sanis insalubre; quibus verò à morbo è contrà fit, salubrius.*

In genere autem notatur, quòd constitutio pituitosa popu-

laris valdè cohærens ſit cum atrabiliari, cum quâ complicatur ab ipſo menſe Novembri, præſertim apud ſenes; & quòd ea duret uſquè ad conſtitutionem inflammatoriam, quæ plerùmque incipit in fine Decembris, ſaltèm apud ſanguinolentos. Hoc apparet in pleuritidibus ac peripneumoniis legitimis, quæ tunc contingunt apud homines mediæ ætatis paulò laxiores; ſed illud præſertim proſtat in morbis catharralibus dictis qui ſimul accidunt: nam eorum materies & caterva procedit ab humore pituitoſo, ſimul & nonnihil inflammatorio.

Præ mucosâ ſerosâque naturâ conſtitutionis pituitoſæ, ea potiſſimùm infenſa eſt organis humores mucoſos ſecernentibus. Ideòque ea nocuam ſeſe præbet glandulis lymphaticis, necnon & cellulari textui. Propterea non mirum, ſi exindè gignantur frequentes tuſſes, numeroſi ſeniles catharri, pituitoſæ anginæ, leucophlegmaciæ, &c. Neque etiam mirabilius, ſi abhìnc ſcaturiant adeò frequentes pleuroperipneumoniæ ſpuriæ, quas aliquandò difficile eſt dixiſſe, utrùm magis atrabiliares ſint quàm pituitoſæ; aut viciſſim.

Deniquè dùm regnat pituitoſa conſtitutio, ea valet concurrere ad morbos quoſlibet tunc accidentes, ſicut de aliis conſtitutionibus dictum eſt. Quinimò, levis concurſus ille locum etiam habet per hyemem, quamvis tunc non vigeat determinata & popularis conſtitutio pituitoſa. Natura namque ad illam ſpontè vergit tunc temporis, & quidem ſemper ſatis, ut ſenes debiliores quotannis opprimat magis vel minùs.

§. V.

CONSTITUTIONES EXTENSÆ.

ALIQUANDO tantæ ſunt anni tempeſtatum aberrationes, ut videatur annus quaſi foret una ferè & eadem tempeſtas; adeò ut

constitutio morbosa eadem florescat per annum integrum : dùm plerùmque vigens constitutio mutatur à subsequente tempestate, saltèmque ab hyeme, vel ab æstate.

Dicitur tunc temporis dari constitutionem extensam, eò quòd ex. gr., constitutio inflammatoria hyemis & veris occupet integram æstatem ipsam, imò & fortè adhuc prorogetur usquè ad hyemem subsequentem. Quæ extensio pariter fit aliquoties respectu aliarum constitutionum.

Cognoscuntur autem tales extensiones, non solùm ex continuatâ ferè simili temperie tempestatum; verùm etiam ex perennitate morborum qui similibus symptomatibus stipati sunt, & qui eamdem continuò ætatem, aut speciem hominum aggrediuntur.

Hâc ratione, si extenditur constitutio inflammatoria, juvenes atque adolescentes ægrotabunt, præ hominibus mediæ ætatis: si biliosa, viri : si atrabiliosa, homines ætatem ultra-virilem agentes, ut & senes crudi : si pituitosa, senes, sæpèque & infantes.

De reliquo, quandò una quælibet constitutio extenditur, semper ipsi tandem desinenti succedit constitutio hæc, quæ ipsi succedere solet quandò tempestates regulares sunt. Ex. gr., si inflammatoria constitutio extensa fuerit, semper ipsi abeunti succedit biliosa constitutio; pariterque biliosæ constitutioni extensæ abeunti, atrabiliaris succedit : & sic de cæteris. Undè si constitutio biliosa occupet autumnum, tunc æstivi morbi vigent per autumnum, loco morborum autumnalium; & morbi autumnales per hyemem. Sed ii remissiores sunt, & brevioris regni, quia atrabiliaris constitutio faciliùs deletur ab hyeme : & sic de cæteris. Sæpèque accidit, ut extensæ constitutiones evadant annuæ.

ARTICULUS III.

SIGNA sanitatis ex ætate & sexu inferendæ.

QUATUOR anni tempestates videntur præbere maximam analogiam cum quatuor stadiis humanæ vitæ, sicut pulchrè observarunt Antiqui, post Hippocratem. Ideò dixerunt pueritiam & adolescentiam veri affinem esse: juventutem æstati primæ: virilitatem secundæ parti æstatis, ut & autumno: hyemi senectutem.

Saltèm, ex aph. 18, sect. 3, luculenter apparet talem fuisse sententiam Hippocratis, quippè qui expressiùs loqui non potuisset de prædictâ analogiâ sedente inter varias tempestates anni, & varias ætates hominum. *Per anni tempora autem*, inquit ille, *vere quidem & primâ æstate pueri, & qui ætate his proximi sunt, optimè degunt, & maximè valent; æstate verò & quadamtenùs autumno senes; reliquâ verò parte autumni, & hyeme, qui mediâ sunt ætate.*

Statim mirum videretur, quòd vernum tempus, naturâ suâ analogum cum pueritiâ & adolescentiâ, ipsis faveat, nedùm noceat. Nam calor humidus veris apparet æquè capax lædere corpora calida & humida puerorum adolescentiumque, ac frigus humidum hyemale senes afficit: quantùm etiam calor æstatis primæ labefacit juvenes, viros verò secunda pars æstatis & pars prima autumni.

Alio tamen modo se res habet respectu puerorum & adolescentium. Corpora eorum ductilia sunt admodùm; ideòque facilè ferunt copiam boni sanguinis verno tempore præsertim luxuriantis: imò & illâ indigent, ratione incrementi sui, indèque tunc benè se habent. Similiter, ii per æstatem *primam* manent

illibati

illibati à conſtitutione propriâ hujus tempeſtatis, quoniàm illa adhuc ſapit qualitates vernas. Conſequenter, ſicut dicitur aph. citato, vere & primâ æſtate pueri, atque qui ætate his proximi ſunt, optimè degunt & maximè valent.

Senes, è contrà, qui naturâ ſuâ humidi ſunt ac frigidi, optimè valent caniculari tempore, ſicut & per primam autumni partem. Eæ ſiquidem tempeſtates valent utiliter calefacere corpora ſenilia, ea paululùm reſiccare, prætereàque demulcere rigiditatem eorum. Idcircò, ſenes æſtate & quodamtenùs autumno, magis ſani ſunt.

Tandem notatur, homines mediæ ætatis optimè plerùmque degere per ſecundam partem autumni, ſicut & per hyemem. Cùm enim reliqua pars autumni jam accedat ad frigiditatem humidam hyemis: hìnc fit, ut à fine autumni, pariter ac ab hyeme, temperetur calor, ſiccitas & diſpoſitio eorum biliofa. Proindèque non mirum homines mediæ ætatis tunc eſſe ſaniores. Nam tunc ab iis dimoventur nimietates illæ, quarum occaſione præſertim ægrotarent. Fatendum equidem, quòd ii tandem exponantur inflammatoriis morbis poſt hyemis finem, ſi generata fuerit talis conſtitutio. Sed id fit à fine hyemis tantùm; nec minùs verum eſt dicere, quòd ut plurimùm homines mediæ ætatis benè valeant per reliquam partem autumni, & per hyemem.

Prædicta theoria ſanitatis propriæ variis ætatibus, ſecundùm varias tempeſtates anni, luculenter firmatur aph. 2, ſect. 3, in quo ſequentia leguntur: *Naturæ hæ quidem ad æſtatem, aliæ ad hyemem, benè vel malè ſe habent.* Nam in hoc aphoriſmo traditur exceptio regulæ generalis, contentæ in aphoriſmo 18°. quoad tempeſtates in quibus ætates variæ benè valent, aut non. Equidem, in aphoriſmo 2°. mox allato monetur dari quaſdam accidentales habitudines, ſeu temperies proprias aliquot indi-

viduis variarum ætatum : proindèque , his mediantibus temperiebus impediri, nè generali eventu intelligatur & probetur aphorifmus decimus-octavus , quoad tempora anni quibus benè valent pueri, fenes, & homines mediæ ætatis. Quædam enim individua variarum illarum ætatum fingulari & infolitâ temperie accidentaliter gaudent ; cujus ratione ægrotant per tempeftatem magis congruam fovendæ fanitati multitudinis hominum ætatis ejufdem, nedùm tunc benè valeant, ficut ftatuitur aph. 18 fuprà relato ; & viciffim. Sic, ex. gr., adolefcens accidentaliter biliofus, facilè ægrotabit æftate mediâ, ficut vir fortè pituitofus ægrotabit per hyemem ; fic etiam robuftus fenex biliofus ægrotabit æftate, nedùm benè valeat ; & hyeme optimè fe habebit, &c.

Non alio fub fenfu intelligendum effe aphorifmum fecundum fectionis tertiæ arbitror. Alioquì Hippocrates infulsè tradidiffet eamdem fententiam in prædictis duobus aphorifmis fectionis tertiæ. Quinimò , eamdem fententiam adhuc recoxiffet infulfiùs, in aphorifmo 3°. dicens : *Morbi quoque alii ad alias anni tempeftates benè vel malè habent, & ætates quædam ad anni tempeftates, & regiones , & victûs rationes.* Nemo ab omni præjudicatione liber non judicabit, ut opinor , idem doceri de variis morbis in aphorifmo tertio , quod traditum fuit aphorifmo fecundo de temperamentis variis, & quod dicitur de ætatibus variis aphorifmo decimo-octavo. Nonne enim quidam morbi faciliùs feruntur & fanantur , per quamdam anni tempeftatem , quàm per aliam? Nonne pariter quædam temperamenta meliùs ferunt unam tempeftatem, præ aliâ ? Nonne demùm, variæ ætates generaliter meliùs fe habent, aut pejus , in certâ anni tempeftate ?

Sed in favorem fententiæ noftræ præterea notandum venit,

Medicum Coum addidiſſe in aphoriſmo tertio, quòd ſicut ætates quædam, necnon quædam temperies, benè vel malè ſe habent per certam tempeſtatem anni; ita & ætates eæ, eæque temperies, benè vel malè ſe habeant ad varias mundi regiones, & ad varias rationes vivendi.

Sicut ſenex in genere meliùs valet æſtate, quàm hyeme, &c: ſicut morbus melancholicus faciliùs curabitur verno tempore, quàm per autumnum, &c. : & ſicut bilioſus vir meliùs valet hyeme, quàm æſtate, &c. : ita & ipſe idem ſenex meliùs ſe haberet in Occitaniâ, quàm in Germaniâ; vir bilioſus, meliùs apud Germanos, quàm apud Anglos. Pariterque intelligendum eſt quòd, ſicut ſenex benè ſe habet à victu parco, ita & vir à modico : juvenis à multo : à copioſiore adoleſcens : infans deniquè, à victu affatim exhibito, molli, & plurimis vicibus aſſumpto. Nec alio modo ratiocinandum eſt de variis exercitationibus, aliiſque rebus inevitabilibus. Indèque concipitur, quarè quilibet morbus pro ſuâ naturâ debiliùs aut fortiùs advocetur, illeque mitiùs aut crudeliùs ſæviat, prout ab unâ duntaxat causâ accidentali producitur, aut ab aliquâ ſimul temperiei diſpoſitione : tùm quarè major imprimis fiat morbi ſævities, quandò, unà cùm diſpoſitione naturali ægrotantis, adhuc concurrit tempeſtas eumdem morbum per ſe producere capax. Quod medicum dogma videtur apprimè contineri aph. 8, ſect. 8; qui fortè non fuit vituperatus à quibuſdam, niſi quia ipſis difficilior aut obſcurus videretur. Eum ſequenti modo legendum ac intelligendum eſſe nobis apparet. *Quæ ſecundùm naturam ad tabem vergunt, omnia quidem vehementia, & etiam lethalia. Secundùm autem* (id eſt, ſecundò verò eadem omnia perindè vehementia & lethalia), *ſi in tempore* adverſo *ægrotet. Nam tempus ipſum morbo opem fert* (id eſt, morbo vires addit, ſi fuerit adverſum),

quemadmodùm febri ardenti æſtas (adverſa eſt), *hydropico hyems. Naturâ enim* (tunc morbus) *ſuperior eſt*, *at ſpleni plus affert timoris* (contrarietas illa, ſicut reipsà verum eſt).

Jam nunc conſideratis illis quæ in genere pertinent ad communem ſanitatem hominum quoad varias eorum ætates, & quid in particulari conveniat variis ipſorum temperamentis quoad anni tempeſtates, regiones, & vivendi rationes: ſupereſt dixiſſe quinam morbi ſint in genere magis familiares variis ætatibus.

Morbi autem magis familiares variis ætatibus recenſiti inveniuntur in ultimis octo aphoriſmis ſectionis tertiæ. Nempè morbi puerorum annumerantur aphoriſmis 24, 25, 26 & 27, eorumque terminationes frequentiores memorantur aph. 28. Morbi adoleſcentium & juvenum referuntur aph. 29, quos inter præcipuè notandi ſunt comitiales dicti; quatenùs videlicèt ii præſertim tollantur per mutationes ætatis, regionum & victûs, ex aph. 45, ſect. 2; & in quantùm iidem ſanabiles fortè habeantur, ſi oriantur antè pubem: inſanabiles verò, ſi anno quinto & vigeſimo oriantur, ſicut legitur aph. 7, ſect. 5. Poſteà celebrantur morbi viriles, aph. 30; & demùm morbi ſeniles aph. 31, ſeu ultimo. Sed, quoad ſenes, ita Hippocrates prætereà loquitur aph. 39, ſect. 2: *Ut plurimùm quidem ſenes juvenibus ægrotant minùs: at qui ipſis morbi diuturni contingunt, eos ad mortem comitari ſolent.*

Deniquè finem faciemus hujus articuli, expoſitione eorum quæ attinent ad ſigna morborum ex vario ſexu depromendorum. Porrò, præter illa quæ reſpiciunt morbos uterinos, ut & morbos teſtium & urethræ (quæ omnia habebuntur ubi de pubertate, & ubi de urinis), ſequentia notanda ſunt reſpectu morborum arthriticorum. 1°. Nempè ex aph. 30, ſect. 6,

reminiſcendum pueros non laborare podagrâ, antè veneris uſum 2°. Eunuchos non laborare podagrâ, ut fert aph. 28, ſect. 6. 3°. Deniquè, mulieres minimè tentari podagrâ, niſi menſes ipſis defecerint, ſicut legitur aph. 29 ſectionis ejuſdem. Sed illæ obſervationes nunc non intelligendæ ſunt ſine grano ſalis, ſicut fuſiùs dicetur loquendo de morbis arthriticis, nempè ubi dé humore ſynoviali.

Solitâ ſuâ cum brevitate Hippocrates, quaſi omnia prædicta recapitulando de ætatibus, ſic loquitur coacâ 512: » Sed neque » antè pubertatem occupant hi morbi, pulmonum inflamma- » tiones, laterum dolores, podagræ, renum vitia, varix in » tibiâ, fluor ſanguineus, cancer non innatus, albicans vitiligo » non cognata, defluxio in ſpinalem medullam (*hìc ſanè intel-* » *gendo phtyſim dorſalem*), ſanguinis per ora venarum proflu- » vium, tenuioris inteſtini morbus (quem *chordapſum* vocant), » non à naturâ inſitus. Horum nullus antè pubertatem me- » tuendus eſt. Ab anno autem decimo-quarto ad quadrageſimum- » ſecundum uſquè, natura omnis generis morborum corporis » ferax eſt. Contrà verò, ab hâc ætate ad annum ſexageſimum » tertium, neque ſtrhumæ fiunt, neque veſicæ calculus, niſi » anteà occupet; neque in ſpinalem medullam defluxio, neque » renum morbus, niſi ex aliâ ætate ſequantur, neque ſanguinis » per ora venarum profluvium, neque fluor ſanguinis, niſi » priùs adfuerit; atque hi morbi ad ſenectutem uſquè abſunt ». Ita ille. Sed hæc ſaltèm de ſenibus effata ſupponunt homines benè vivere. Nam crapula valeret plurimos inexſpectatos adducere morbos; imò ipſis multùm quoque nocere poſſet degenerata lues venerea, quæ ignota fuit Hippocrati.

ARTICULUS IV.

Signa morborum petenda ex ipsis morbis prægressis & curatis.

Prægressis morbis Medico attento uti valdè etiam proficuum. Ii siquidem lucidam facem præbent ad cognoscendam naturam & speciem morborum actualium, ut & possibilium. Prima lux necessaria est therapeïæ : altera prophylaxi. Nemo negabit homo.

Propterea, ubi non facilè distinguitur aitiologia morbi cum quo homo conflictatur, aut quisnam timendus sit, attendere oportet ad sequentia ; quæ etiam majori certitudini inferendæ servirent, etsi jam nosceretur præsens morbus, aut imminens.

1°. Nempè sciendum est, utrùm hic homo olim quodam morbo correptus fuerit? 2°. Quinam fuerit hic morbus, saltèm quantùm æger valet dicere quoad symptomata graviora ; tùm præcipuè quoad modum abeundi? 3°. Quânam tempestate morbus acciderit? 4°. Quânam ætate? 5°. Deniquè, quomodò tractatus fuerit?

Facile concipere est, Medicum ex prædictis cognitionibus saltèm dubium acquirere posse de naturâ morbi, si illam non indè lucidè aspexerit. Dubitare saltèm, inquam, utrùm prægressus morbus inflammatorius fuerit, necnè? Nùm verò tantùm catharralis, vel biliosus, vel atrabiliosus, vel pituitosus, vel arthriticus, aut alterius cujuspiam prosapiæ?

Sed, si morbus prægressus nullam videatur præbere cohærentiam cum ætate ægrotantis, sicut nec cum tempestate anni ; tùm, si instituta medicatio ejus nihil ostendat, sicut nec ejus abeundi modus : aliorsùm instituenda est diagnosis. Tunc inquirendum venit, quænam circumstantiæ cognitæ talem morbum

præcesserint, vel in quibusnam ille acciderit? Hoc pacto videbitur, morbum olim toleratum nonnisi accidentalem fuisse, seu sporadicum; minimè verò natum ob causam epidemicam. Undè judicandum dumtaxat supererit, perpensis ejus symptomatibus, utrùm quamdam participaverit constitutionem humanam inter ordinarias : numve ille morbus ortus fuerit à quâdam causâ peculari, nempè vel arthriticâ, vel scorbuticâ, vel siphiliticâ, vel metastaticâ quâlicumque, vel & ab intemperantiâ?

Tali arte Medicus attentus sæpenumerò pervenit ad cognoscendam materialem causam morbi, vel causam aliquam moralem : consequenter ad cognoscendam quoque temperiem ægrotantis, & ad instituendam therapeïam congruam, aut prophylaxim.

ARTICULUS V.

SIGNA repetenda ex actuali statu convalescentis.

SANE quidem ægrotantes magis vel minùs tutè sæpenumerò convalescunt. Hoc fit 1°. prout corpora eorum liberata fuerunt à principio morboso, vi naturæ, vel artis. 2°. Prout quoddam viscus affectum manet morbo secundario, sive ibi relictus fuerit abscessus; sive enatæ fuerint ibidem obstructiones, aut adauctæ quædam priùs existentes, vel & ductæ ultrà limites naturæ suæ schirrosæ. 3°. Deniquè, prout convalescentes resurgunt, & tunc utuntur cibo, somnoque quotidiano. In his enim datur reperire indicia plurima recidivarum, vel & morbi alicujus secundarii qui priore sæpiùs pejor sit, aut saltèm admodùm chronicus, vel & omninò insanabilis.

Primò videndum in convalescente, quid proficiant cibi, & quid proficiat somnus.

Quod ſpectat cibos, bonum cenſetur, ſi convaleſcens vires ſuas ritè recuperaverit, & ſi ab aſſumptione ipsâmet ciborum recreetur. Nemo enim non intelligit quarè, *ex morbo bellè comedenti corpus nihil proficere malum*, ſicut docetur aph. 31, ſect. 2, & ſicut prætereà firmatur coacâ 127, in quâ additur, ægrotantes ideò malignè relabi. Nequè id mirum; tunc enim metus eſt, nè pravæ digeſtiones procreent novum morbum; aut potiùs timendum, nè quædam ſuperſint reliquiæ morbi imperfectè judicati; eæ ſiquidem reliquiæ ſolent facere recidivas, ſicut docetur aph. 12, ſect. 2, & ſicut facile eſt concipere. Neque obſcurior eſt ſenſus aphoriſmi 8, ſect. 2, ubi legitur: *Si quis ex morbo cibum capiens, vires non recipiat, eum copioſiore alimento uti ſignificat. Quòd ſi cibum non capienti iſtud contingat, inanitione indigere ſciendum eſt.* In primo enim caſu hujus aphoriſmi, datur quidem appetitus, ſed obruuntur vires chylopoïeticæ: in ſecundo verò, deeſt appetitus, & datur ſaburra in officinâ digeſtionis. Confer aph. 32 ſect. ejuſdem.

Quoad ſomnum, indè quoque elucent potentiſſima ſigna. Nam, ut legitur coacâ 151, *profundi ſomni neque turbulenti, judicii firmitatem denunciant. Turbulenti verò, non ſine corporis offenſione, inſtabiles ſunt & infirmi.* Hæcque prognoſis ſic firmatur, lib. de judicationibus, circà finem. » Morborum reverſionibus » tentatur quibus citrà febrem vehementes vigiliæ, aut turbulenti ſomni adveniunt, aut corporis robur ſolvitur, aut » ſingulorum membrorum dolores adſunt, & quibus febres, » non accidentibus ſolutionis ſignis, neque diebus judicatoriis » quieſcunt. Quòd ſi deficiente febre & accedente ſudore, » urinam fulvam albam ſubſidentiam continentem reddiderint, » his eodem die febris reverſionem ſperato. Ejuſmodi verò » reverſiones quinto die, citrà periculum, judicantur. At ſi,

» judicatione

» judicatione factâ, urina rubra subsidentiam rubram continens
» reddita fuerit, his quoque febris reversio eodem die con-
» tingit, ex quâ pauci servantur.

Secundò, considerandæ consequentiæ morborum, quatenùs eæ felices sunt, aut infelices. Felices sunt, quandò effectu febris deletur aliquod vitium habituale, tùm ubi tollitur dispositio ad similem morbum contrahendum, sicut fit in variolis, quæ nunquàm plerùmque revertuntur. Infelices verò, quandò abhìnc surgit vitium aliquod in quodam viscere; sive hoc viscus secundario morbo affligatur; sive idem jam anteà fuerit affectum, & posthàc graviùs lædatur; sive demùm illud debilitatum fuerit à morbo. Sic itaquè sæpè videre est nasci obstructiones in hepate post toleratam hepatitidem, aut febrem biliosam, cùm intermittentem, tùm continuam: sic etiam cancer occultus manifestatur occasione morbi prægressi, potissimùm si febrilis fuerit. Sicque cruda vomica abit in suppuratum, ob causam similem: sic, ob peripneumoniam malè resolutam, remanet induratio anhælosa, aliquandò fortè abitura in vomicam. Sic demùm abscessus quandòque relinquitur post morbum, 1°. quia pars affecta debilitata fuit ab illo, & hâc ratione ibi aliqua stetit metastasis; 2°. quia decubitus clanculò factus in aliquâ parte non fuit resolutus, sensimque abiit in suppuratum. *Quibus convalescentibus ex quovis morbo, pars aliqua labore vexatur, illìc abscessus fiunt*, ex aph. 32 sect. 4. Quemadmodùm, in ipsismet morbis acutis, *si pars quædam antè morbum laboraverit, in eam se morbus obfirmat*, ut docetur aph. 33 sectionis ejusdem. Nempè propter ejus partis debilitatem, aut quamdam irritationem præexistentem.

Inter infelices morborum consequentias, consideranda deniquè imperfecta aufugia principiorum morbiferorum. Ea namque

principia aliquandò vi naturæ cooperiuntur aliquo veluti involucro, ſub cujus larvâ aliquandiù feruntur hìnc indè; vel & ea metaſtaticum decubitum faciunt alicubì. Aliis vicibus, eadem deleteria imperfectè quoque ſubacta, ſed jam nonnihil mutata, emigrant in cellularem textum, ibi delitefcendo; quâ in parte non rarò aliquandiù ſtagnant impunè, aut mirabilem valdèque periculoſam leucophlegmaciam creant, &c. Quandòque etiam tumores per modum criſeos enati, ſolvuntur abſquè evacuatione ſubſequente, ideòque fit morbus recidivus. Hoc præſertim malum ſic notatur lib. de judicationibus, ergà tumores parotideos : *Quibus judicationis tempore exorta ad aures tubercula non ſuppurantur; his ſolutis, morbi reverſio, pro recidivarum ratione, ſimili circuitu contingit.*

Multas alias annotationes quiſque pro marte ſuo valet facere in hanc rem; ſed ex ſuprà allatis jam planum eſt, quantùm interſit Medico convaleſcentes aſpicere ſub reſpectu pathologico-ſemeïotico. Indè enim permulta mala præſentia vel futura dignoſcet, adeòque & prognoſim congruam ſtabilibit, congruamque medelam; ſive therapeuticam, ſi poſſibilis ſit; ſive tantummodò prophylacticam, ſi natura morbi juſſerit.

Nunc pauca ſuperſunt tradenda de ſignis ſanitatis quæ repetenda ſunt ex loco & habitationibus. De his igitur breviter agendum articulo ſequenti, ad hoc ut completior habeatur notitia pathologico-ſemeïotica rerum, quæ ad ſanitatem afficiendam & deſignandam pertinent.

ARTICULUS VI.

Signa repetenda ex loco & habitatione.

HABITATIONES hominum, ut & loca in quibus illæ ſitæ ſunt, multùm facere ad ſanitatem, quis negaverit? Primò quidem

quotidianâ constat observatione, plures homines benè aut malè valere eâ tantùm de causâ, quòd ii congruâ vel incongruâ fruantur habitatione. Cùm enim aspectus domorum borealis valeat imprimis stringere humanorum corporum compagem, illamque ut plurimum aspergere copiosiori principio electrico, dùm auster contraria præstat; & cùm inter duas illas potentissimas oppositasque causas frequentissima detur alternatio, vel & alterutrius longa quandòque prædominatio: his ipsis factis certò probatum manet, varias hominum mansiones plurimùm conducere non solum ad fovendam constitutionem quamdam morbosam aliundè exortam; sed & ad illam accidentaliter inducendam, contrà solitum ordinem rerum quæ congruæ sunt variis hominum ætatibus, variisque tempestatibus anni. Quoties accidit ut, eâ simplici de causâ, popularis quædam morbosa constitutio faciliùs aggrediatur homines ad illam naturâ suâ jam dispositos, aut iis è contrà parcat; vel & in quibusdam nascatur aliqua constitutio, quæ nec ætati congrua sit, nec anni tempestatibus! Undè apparet haud spernendam exindè cognitionem haberi respectu individuorum grassante quodam morbo populari corripiendorum, aut præservandorum; tùm respectu quorumdam hominum qui tentantur ægritudinibus sporadicis, vel & suo statui civili magis familiaribus.

Quod dictum est de habitatione, illud à fortiori, & generaliùs quidem intelligendum de loco in quo illa sita est; præsertimque id considerandum venit, ergà regiones quæ obnoxiæ sunt majoribus & crebrioribus cœli mutationibus. Mirum enim est, quantùm indè mutentur sanitates populorum variorum, ut & morales eorumdem affectiones; prout nempè ab hinc mutatur physica eorum constitutio, necnon societas & fortuna ipsamet. Hæc omnia abundè probari licet, ex iis Medici Coï observatis quæ in fine libri de aëre, locis & aquis ita leguntur.

» Qui regionem quidem montanam, asperam, altam & aquis » carentem incolunt, & anni temporum mutationes habent » multùm differentes, illìc hominum formas magnas esse par » est, tùm ad laborem, tùm ad robur à naturâ optimè esse » comparatas. At agrestibus & ferinis moribus ejusmodi naturæ » non parùm sunt præditæ.

» At qui loca concava, herbosa & æstuosa habitant, quique » ventis calidis magis quàm frigidis perflantur, & aquis utuntur » calidis, hi magni quidem esse non possunt, neque recti, & » ventre substricto; in amplam verò corporis molem à naturâ » producuntur, corpore sunt carnoso & capillis nigris, colore » potiùs nigro quàm candido, & minùs pituitosi quàm biliosi. » At animi robore & laborum tolerantiâ, non æquè à naturâ » valent, sed accedens vitæ institutum id efficit. Quòd si » flumina ea regio habeat, quæ stagnantes & pluvias aquas » educant, ii incolumes degunt & colore cutis sunt splendido. » Sin verò nulla sunt flumina, aquasque fontanas statarias & » malè olentes bibant, has ventri & lieni noxias esse necesse est.

» Qui verò regionem altam, planam, ventis perflatam & » aquosam incolunt, ii corporis habitu sunt prægrandi, inter se » similes, & erecti, & animo tranquilliore.

» At qui gracilia & arida loca, aquis carentia & nuda tenent, » neque temperatas habent anni temporum mutationes, hâc » in regione homines duro & robusto corporis habitu esse par » est, & colore flavo potiùs quàm nigro, moribus & animi » appetitionibus nimis placentes & superbos, & in conceptâ » opinione permanentes.

» Ubi enim anni temporum mutationes, tùm crebræ, tùm » plurimùm inter se differunt, ibi & formas, & mores, & » naturas plurimùm diversas comperias. Atque hæ quidem

» maximæ causæ sunt, cur naturæ permutentur, deindè etiam » regio in quâ quis nutritur, & aquæ. Magnâ enim ex parte » hominum formas & mores regionis naturam imitari reperias.

» Ubi enim terra pinguis est, & mollis, & aquosa, aquæ » verò valdè sublimes, ita ut æstate sint calidæ, & hyeme » frigidæ, quæque ad anni tempora probè habet, ibi homines » sunt carnosi, articulis non discreti, humidi, labores non fe» rentes, at ut plurimùm pravi animi. Quin etiam segnes sunt » & somnolenti, & ad artes crassi, neque subtiles, neque » acuti.

» Ast ubi regio nuda est, non munita, aspera, quæque & » à frigore hiberno prematur, & à sole æstivo exuratur, ibi » duros, graciles, articulis discretos, carnosos & hirsutos ho» mines cernas, & qui ad aliquid agendum naturâ sunt industrii » & vigilantes. Mores autem habent superbos, in iram pro» clives & pertinaces, magisque feritatis quàm lenitatis parti» cipes, eosque ad artes acutiores & solertiores, & ad res » bellicas gerendas meliores deprehendas.

» Quin & reliqua omnia quæ è terrâ producuntur, terræ » ipsius naturam sequuntur. Atque maximè quidem contrariæ » naturæ & formæ sic se habent, ex quibus conjecturâ ductâ, » si reliqua consideres, minimè aberrabis ». Ita ille, neque quidquam pulchrius dici potest, aut veracius. Nî vetaret metus offendendi existimationem aliquot populorum, non deessent faciendæ applicationes, non solùm quoad vulgatas quatuor orbis hujus partes, sed & quoad Galliam, imò & Provinciam nostram, sicut apparebit cuique attendenti. Scopus hìc noster non est quemquam lædere, sed non omittere rem pathologico-semeïoticam, spectabilem respectu topographiæ medicæ mundi variorumque ejus locorum.

CAPUT TERTIUM.

De fame & siti.

Fames quæ statis temporibus, statoque tenore revertitur, quam concomitatur solitus eduliorum sapor, optimum est signum. Ea utiliter monet sanos de indigentiâ novi cibi; prætereàque indicat omninò peractam esse animalisationem ciborum anteà assumptorum. Imò, si in hisce circumstantiis corpus non sit ponderosius, neque ad sensum, neque ad stateram, indè probatur debitam vigere quoque excrementorum expulsionem.

Sed, quemadmodùm fames illa periculosa est quæ redigitur ad solum appetitum, non excitandum nisi ab eruditiore culinâ: ita & ipsiusmet famis naturalis justi limites sunt agnoscendi, quos ultrà, citràque, nequit consistere sanitas. Fames enim, etiam in ipso statu apparenter sano, ubi molestat, morbus fit. *Quidquid homini molestiam ac tristitiam infert, hoc morbus vocatur*, inquit Hippocrates, lib. de statibus; & posteà addit: *quod ergò est famis remedium? Hoc scilicèt quod famem sedat; id autem facit cibus, & eo malum illud medicandum.*

Jucunda sanè quidem medicina famis. Sed in hoc adhibendo medicamine, certis cautelis opus est. *Nec minus delictum*, inquit ille, lib. de veteri med., *nec minùs lædit hominem, si pauciora & defectuosiora quàm satis est assumantur. Fames enim magnam potentiam in naturam hominis habet, & sanandi, & debilitandi, & occidendi.* Ideòque, *neque satietas, neque fames, neque aliud quidquam bonum est, quod naturæ modum excesserit*, ut docetur aph. 4 sect. 2; præcipuique diætæ errores respiciunt ciborum copiam & qualitatem, tùm horam in quâ cibi assumuntur.

Hora paſtûs intempeſtiva eſt, quandò non expectatur juſtum tempus donec venter cibos anteà ingeſtos perfectè conſumpſerit. Tunc valdè periculoſum eſt digeſtionem turbari; cibos in ventriculo diutiùs ſervari atque ideò corrumpi, undè plurima mala ſubſequi poſſint; qualia ſunt anorexia, colici dolores, diarrhea, febris ipſa, &c.

Quod ſpectat ciborum qualitatem, ea quidem in genere accommodari debet temperiei, tempeſtati, ut & ætati. Nihilominùs verò ſæpè accidit ut, ex conſilio aph. 38 ſect. 2, *cibus & potus paulò pejor, ſuavior autem, melioribus quidem, ſed inſuavioribus, anteponendus ſit.*

Copia ciborum poteſt eſſe nimia, vel parcior. Si minor fuerit quàm par eſt, intelligenda ſunt ejus pericula ex iis malis quæ ſequuntur famem nimis protractam, & quæ hæc ſunt. Nempè talis fames nimiam infert humorum ſiccitatem, attenuationemque animalem nimiam, haud ſecùs ac illæ inducuntur à nimiis laboribus corporeis; præſertim ſi labores ei incidant cum fame: *ubi fames, laborandum non eſſe*, meritò dicit Hipp. aph. 16 ſect. 2; qui Auctor hanc ſententiam magis veluti probaturus ait aph. 58 ſect. 7, *corporibus humidis carne præditis, famem inducito, fames enim corpora exſiccat.* Quandò verò cibi nimiâ copiâ fuerunt aſſumpti, ſciendum eſt, non minoribus malis exindè præberi occaſionem. *Ubi copioſior præter naturam cibus ingeſtus fuerit, morbum creat; manifeſta verò curatio*, ex aph. 17 ſect. 2; neque ſententia hæc obſcura eſt. Sed & delictum illud adhuc majus habendum, quandò cibi aſſumuntur abſquè legitimâ fame, præſertimque, ſi quædam cacochylia adfuerit. Ut docetur aph. 10 ſect. 2, *impura corpora quò plus nutriveris, eò magis lædes.* Quod medicum dogma, ſeveriùs adhuc colendum in acutis, explicatur per partes in aphoriſmis 4, 5,

7, 8, 9, 10, 11, 16 & 19, sect. 1, ubi statuitur quænam congrua sit diæta in variis morborum acutorum & peracutorum temporibus, ad hoc ut maxima pericula devitentur; neque liceret quidpiam clarius doceri, aut utilius, ergà tales ægrotantes.

Nè decipiamur distinguendo quænam fames apud sanos congrua sit, quænam verò minor, vel nimia: attendere oportet ad sequentia. Sciendum nempè famem non eamdem esse in omnibus ætatibus, sicut nec in omnibus temperiebus & tempestatibus. Hæc omnia apprimè docentur in aphorismis 13, 14, 15, 17 & 18 sect. 1; hìc sigillatim referendis.

Nempè aph. 13, *Senes facillimè jejunium ferunt: secundùm eos ætate consistentes: minimùm adolescentes: omnium verò minimè pueri: atque inter ipsos qui alacriores sunt.*

Aph. 14, *Qui crescunt, plurimùm habent calidi innati: plurimo igitur indigent alimento, alioquì corpus absumitur. Senibus verò paucus calor, idcircò senes paucis fomitibus indigent, à multis namque extinguitur. Eamdem etiam ob causam, neque senibus febres perindè acutæ contingunt: frigidum enim est eorum corpus.*

Aph. 15, *Ventres hyeme & vere, naturâ calidissimi, somnique longissimi. His igitur temporibus copiosiora cibaria exhibenda: siquidem plurimùm inest calidi innati, ideòque copiosiore indigent alimento.*

Aph. 17, *Quibusdam semel aut bis, & aliis copiosior, aut paucior, aut per partes cibus offerendus est: aliquid autem & tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini concedendum.*

Aph. 18, *Æstate & autumno cibos gravissimè ferunt: hyeme facillimè: deindè vere.*

Quæ omnia ergà diætam sanorum dogmata facilè intelliguntur, quotidièque probantur à Medicis, sicut præceptum sequens, quod lib. de ratione victûs habetur respectu temperamentorum biliosorum

biliosorum & pituitosorum : *ii qui amarâ bile infestantur molestiùs ferunt parciorem cibum, dùm è contrà pituitosi, cibi præter morem abstinentiam faciliùs ferunt.* Quod ultimum effatum de pituitosis firmatur & aph. 58 sect. 7, suprà citato ; quo consulitur famem excitandam esse in iis qui carnes habent humidas.

Ex dictis facilè resolvere est quænam præsertim mala exspectanda sint à præposterâ diætâ, in variis ætatibus, in variis temperamentis, in variis consuetudinibus, in variis tempestatibus, in regionibus variis, atque in morbis acutis.

Sed adhuc attendere necesse est, non esse indifferens quomodò sedanda sit fames urgentior, aut quomodò succurrendum inanitioni. Equidem, *potu quàm cibo refici facilius est*, ut scriptum habetur aph. 11 sect. 2 ; & ab aph. 21 ejusd. sectionis edifcitur, *famem vini meracioris* portione solvi. Enim verò, omnibus iis sapienter, & cum ratione uti convenit ; *confertim & repentè vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel utcumque aliter corpus movere, periculosum, omne siquidem nimium naturæ inimicum. Verùm quod paulatim fit, securum est, tùm vel maximè, si ab uno ad alterum transitus fiat.* Aph. 51 sect. 2.

Nunc sitim consideraturi, dicimus illam bonam esse, si tantummodò ordinaria sit, si facili compescatur negotio. Talis enim sitis indicat fieri debitam aquosorum humorum unionem, distributionem, exhalationem. Ideòque sitis hoc modo constituta monet aliquantum quidem cibi & sanguinis vehiculum aqueum desiderari ; sed demonstrat simul abesse calorem nimium à corpore, illudque esse illibatum à notabili humorum acrimoniâ peregrinâ.

Undè sanitas eò firmior censeri potest, quò minor est sitis : quæ & quandòque in sanitate propemodùm deficit. Quinimò, bonum quoque signum non habere sitim in acutis, & contrà

malum, ſicut in prognoſticis docetur; bonumque imprimis ſine ſiti eſſe in pleuritide, tùm in omnibus circà pulmonem morbis, ex coacâ 393. Verumtamen ſitim in gravi morbo penitùs & præter rationem ceſſare, malum eſt, ut notatur coacâ 58, & alibi; maluſque ille defectus, & tanquàm ſignum, & tanquàm cauſa; tanquàm ſignum inquam, quatenùs pendet à delirio, aut à reſolutione ſenſationem ſitis impediente; tanquàm cauſa verò, quia defectu potûs neceſſarii magis excandeſcunt humores, iique tandem in tabum gangrænoſum diſſolvuntur. At notandum eſt, tuſſibus ſiccis & leviter irritatis poſſe ſitim quadantenùs minui in febribus ardentibus; nempè quia levibus irritamentis gutturis allicitur humiditas in organis ſitientibus. *Quibus tuſſes ſiccæ, plurimæ & modicæ, irritantur, in febribus ardentibus, ii non multùm ſiti vexantur*, aph. 54 ſect. 4.

Notatur quoque ſitim levem ſæpè ſedari per noctem à levi ſomno, etiam in ipſis ægrotantibus. Sed piaculum foret denegare potum ſanis valdè ſitientibus, ſub ſpe ſomni ſitim levaturi, ſicut placuit quibuſdam, malè concepto aphoriſmo 27 ſect. 5, qui eſt veluti continuatio aphoriſmi antecedentis, in quo agitur de dignoſcendâ aquâ leviſſimâ. *Aqua quæ citò caleſcit & citò refrigeratur, leviſſima*, inquit Hipp. aph. 26 ſect. 5; poſteàque ait, aphoriſmo ſequenti: *hæc verò confert* (nempè aqua leviſſima) *quibus bibendi de nocte appetentia eſt, iis admodùm ſitientibus, & ſi poſteà dormierint, bonum.* Levem ſitim à ſomno ſedari, imò & eam interdùm à vigiliâ curari, ſi orta fuerit per ſomnum, commemoratur lib. 6 epid. ſect. 4, his verbis: *levem inter vigilandum ſitim ſomnus ſedat; eam verò quæ ex ſomno orta eſt, vigilia interdùm.* Equidem perſpiratio quævis interna major eſt tempore ſomni, ideòque fauces antè ſomnum leviter ſitientes

humectantur somni efficaciâ. Pariter, si ore patulo dormiatur, hìncque fauces arescant nonnihil, sitiantque post somnum; iis brevì humectatis motu linguæ in evigilato, sitis hæc levis fugatur.

Fames demùm & sitis suos patiuntur morbos formatos, quibus supersedere nefas foret. In fame scilicèt occurrit 1°. *dysorexia*, seu appetitus cibi imminutus : 2°. *anorexia*, idem deletus : 3°. *apositia*, seu fastidium cibi : 4°. fames adaucta, quæ vel canina, vel bovina, vel lupina distinguitur : 5°. demùm, *pica* & *malacia* puellarum chloroticarum, gravidarumque mulierum; quæ affectiones labefactant famem æquè ac sitim, & quæ sæpiùs inserviunt revelandæ graviditati. *Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre succedente, ciborumque fastidia ei accidant, gravidam esse existimato*, inquit Hipp. aph. 61, sect. 5.

Neque etiam reticendum de multis prognosibus morborum, faciendis prout ii se habent cum fame & siti; quas inter præprimis occurrunt sequentes.

Ex aph. 3, sect. 6, *In longis dysenteriis cibi fastidia malum denunciant; & si accidunt cum febre, pejus.* Sicut enim fastidia cibi tunc indicant turbatas esse chylopoïeticas potentias : ita & febris declarat, vel ægrotantem laborare ulcerosâ intestinorum exfoliatione valdè periculosâ, vel & natam fuisse à dysenteriâ longâ pessimam cachexiam, obstructionibus fortè stipatam. Adeòque febris illa pessimi ominis est.

In longis aliis morbis, fastidium cibi maximè etiam considerandum est. Quoniàm indè conjectari licet 1°. viscus aliquod obstructum esse ob quamdam metastasim, vel defectu febrilis coctionis, aut crisis perfectæ : 2°. quòd efficaciâ morbi valdè longi, sic fuerint mutata recrementa & organa esurialia, ut

appetitus nequeat ampliùs promoveri. In his porrò circumſtantiis metus eſt, nè aſſumptorum ciborum coctio non poſſit perfici, imò fortè non inchoari; conſequenter metuendum, nè indè ſequatur defectio nutritionis, & varia digeſtionis phœnomena prava. In hunc ſenſum intelligendus videtur aph. 6 ſect. 7 qui hic eſt: *In morbo diuturno ciborum averſio, & ſinceri vomitus, & biliosæ dejectiones, malum.*

In genere enim, veſtigium aliquod appetitûs priſtini, bonum omen portendit in morbis, ſicut & mentis lumen. *Mente conſtare, & benè habere ad ea quæ offeruntur, quovis in morbo bonum; contrà verò malum*, inquit Hippocrates, aph. 33 ſect. 2. Cui ſententiæ aſſentitur Celſus, dicens lib. 2, cap. 3: *Quandò jam ad ſanitatem venit corpus, ſternutamentum inter bona indicia eſt, & cupiditas cibi, vel à principio ſervata, vel etiam poſt faſtidium orta.*

Attamen, irrito appetitu, non omnes convaleſcentes fructum accipiunt à cibis, adeòque nec ſanitas eorum ſemper tuta eſt. Hoc pendet à modo quo aſſumpta digeruntur. Convaleſcentes quidem aliquandò proficiunt edendo, quantùmvis debiles ſint, ſi modò cibis quàm parciſſimis utantur quos ideò benè concoquant. Sed aliquandò, nedùm reſurgant, ii è contrà languent diutiùs, tandemque appetitum amittunt. Quod ultimum fit præſertim, quandò eorum appetitus edacior eſt quàm congruit viribus ſtomachi. Hâc enim ratione ſenſim creatur cacochylia nova, per quam primò deletur priſtinus appetitus, tandemque faſtidium cibi inducitur. Hùc ſpectat aphoriſmus 32, ſect. 2, qui hic eſt: *Omnes ferè malè qui ſe habent, circà initia quidem cibum benè ſumentes, neque quidquam proficientes, circà finem rursùs cibum non appetunt. At, qui circà initia vehementer abſtinent, poſteà verò cibos probè appetunt, ii meliùs degunt.* Conferatur aph. 8 & 31 ejuſdem ſect.

Apud hominem verò non febricitantem qui aliundè ſanus habetur, faſtidium cibi indicat ſaburram ventriculi; præſertimque, quandò faſtidium illud concurrit cum cardiæ morſu, visûs obſcuratione, & vertigine; nec unquàm in hoc decipitur Obſervator, qui & exindè ediſcit quid tunc moliendum ſit. *Si cui ſine febre, cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, tenebricoſa vertigo contigerit, & os amarulentum fuerit, hæc neceſſariam eſſe per ſuperiora purgationem indicant.* Aph. 17 ſect. 4.

De cætero, nihil in functione famis & ſitis, nec alibi, quicquam videtur miſerabilius quàm *hydrophobia* rabioſiorum, circà quam ea quæ nuper cognita fuerunt fuſiùs exponentur capite de inhalatione, ubi de miaſmate rabido.

CAPUT QUARTUM.

De ciborum manducatione, deguſtatione, ac deglutitione.

MASTICATIO quandòque læditur vitio maxillarum, dentium & linguæ, imò propter palati foramen, ſicut in chirurgicis docetur. Læditur & apud puellas *Picâ* aut *malaciâ* affectas, quæ aliquandò fruſtula ſat craſſa deſiderant devorare, ſicut eorum vomitu paſſim demonſtratur; undè, ex. gr., ab inattentis forſan tunc acciperetur pro verme monſtroſo, id quod fuiſſet tantùm aliqua portio inteſtini cujuſdam animantis, à certo tempore clanculò deglutita; quæ, per macerationem ſuam in gaſtrico ſucco vitiato, peculiariter mutata fuiſſet ac indurata: quaſi corium, corticis quernei pulvere infectum. Sed autopſia accurata haud difficulter valeret delere eventûs illius admirabilitatem: factâ ſcilicèt anatomicâ diſſectione. Caveant ergò creduli *Magnetiſatores.*

Guſtus autem mox nullus percipitur, mox ingratus, mox

erroneus : eaque ſymptomata plerùmque pertinent ad *anorexiam*, *apoſitiam*, *picam*, *malaciam*; ſed & aliquandò proveniunt ab aliquâ affectione nerveâ.

Circà hos affectus nonnullas notas tradidimus in capite præcedenti, ubi de fame & ſiti; nec plura dicenda eſſe credimus.

Quod pertinet ad deglutitionem, ea functio vitiatur multiplici de causâ. Nempè, culpâ linguæ, palati, velaminis ejus, canalium ſalivalium; tùm etiam vitio muſculorum laryngæorum & pharyngæorum, videlicèt affectorum inflammatione, vel eroſione, vel ſpaſmo, vel paralyſi. Deniquè vitiatur propter œſophagi obſtructionem, compreſſionem, ſpaſmum, aut paralyſim; quorum affectuum plures caſus varii referuntur apud Sauvageſium. Imò quoque læditur ſæpè deglutitio, & quidem graviſſimè, ratione præſentis anginæ multiplicis, ſeu legitimæ, ſeu ſpuriæ; de quâ fuſiùs capite de reſpiratione, ubi de anginâ ſermo erit.

CAPUT QUINTUM.

De ciborum chylificatione, & expulſione fecum.

QUANDO benè ſe habent organa digeſtioni ciborum dicata, & ſimul benè conſtituti ſunt humores digeſtivi, prætereàque nulla incuſanda eſt ingluvies aut prava ciborum aſſumptorum qualitas, tunc ſequentia obſervantur; deglutita alimenta ſtomacho, ut ita dixerim, æquè grata ſunt ac palato, eaque nullum proſtant incommodum; quin è contrà, corporis vires jam erigunt ab ipsâ aſſumptione, jamque animi operas ſimul recreant, ac roborant. Talis eſt ſtatus hominis colentis vitam ſobriam, frugalemque præſertim, quem amaræ curæ non mordent; cui,

poſt paſtum paulisper recreari, reliquo tempore exerceri, aliqua veluti religio eſt.

His omnibus ita ſe habentibus, inteſtina ab accepto chymo nè quicquam patiuntur. Coctio in illis recta perficitur, quia in ventriculo rectè fuit incœpta. Abſolvitur deindè bona chyli ſecretio. Alvus nec pigra eſt, nec citatior. Non recedunt à congruo fluxu urinæ cibi, chyli & ſanguinis; quia tunc ſuccedit animaliſatio chyli debita, congruaque coctorum excrementorum ſenſibilium & inſenſibilium expulſio. Quibus omnibus indicatur debita corporis nutritio, ſtipata bono corporis habitu, ut & robore ætati proprio. Quâ de causâ ſtatis horis revertitur appetitus ſolitus, æquali oblectatione ſimul & utilitate ſimili conſtanter ſaturandus.

Plura verò ſymptomata caput extollunt, ubi læditur vel ſimplex fecum expulſio, tùm ubi turbatur digeſtio aſſumptorum ciborum; quæ omnia duplici articulo nunc ſunt exponenda.

ARTICULUS PRIMUS.

Signa repetenda ex ciborum coctione vitiatâ.

ASSUMPTORUM ciborum digeſtionem multâ de causâ turbari notum eſt. Nempè 1°. vitio ciborum ipſorummet; 2°. vitio potentiarum digerentium; id eſt, vitio organorum & ſuccorum digeſtioni famulantium.

Ventriculus, ut & reliquus tubus alimentaris peccare poteſt multiplici ratione: 1°. propter majorem irritabilitatem, aut ſenſibilitatem ejus; 2°. propter nimiam laxitatem.

Major eorum organorum ſenſibilitas & irritabilitas oritur 1°. culpâ nervorum ipſorummet, ſicut accidit in hypocondriacis & hyſtericis; 2°. propter aliquam phlogoſim, aut *hæmoſtaſiam*,

qualis exiſtere poteſt primis graviditatis menſibus, ſicut & poſt recentes menſium ſuppreſſiones à terrore inductas in femellis ſanguineis ; 3°. propter repetitas irritationes pharmacorum acrium, aut condimentorum aromaticorum, aut alicujus veneni per accidens aſſumpti ; 4°. occaſione ulceris cujuſdam gaſtrici, aut inteſtinalis ; 5°. affluxu humoris arthritici, vel alterius ; 6°. demùm, effectu alicujus majoris herniæ umbilicalis, aut ventralis. Talium enim cauſarum efficaciâ contingit, ut alimenta moleſta fiant ſtatim ab aſſumptione eorum, indèque naſcantur cardialgiæ, ructus acidi, vomitus frequentes aut habituales, dolores capitis ſympathici ; vel & quandòque citatior ciborum crudorum devolutio ad inteſtina, cujus deſcensûs ratione fiunt borborygmi, tormina, alvi fluxus diverſi ; tùm cacochyliæ, inappetentiæ variæ, cachexia multiplex, debilitas, &c.

Laxitatis ventriculi cauſæ ſunt, 1°. conſtitutio debilis ; 2°. frequentes digeſtiones nidoroſæ, reſolvendis nervis aptæ ; 3°. copioſæ, frequenteſque ingurgitationes ; 4°. aſſidua tepidæ potatio ; 5°. paralyſis ; 6°. equitatio dura & inſolita, paulò poſt paſtum ; 7°. meditationes nimiæ, factæ pleno ſtomacho. Quæ laxitas ſemel enata ſequentibus malis originem præbet. Nempè percipitur pondus ingratum in ſtomacho ſtatim à paſtu ; ibique non rarò intelligitur ſenſibile potulentorum fluctuantium murmur. Mox, paulò poſt paſtum ſublimantur ructus varii, pro variâ ciborum ſtagnantium naturâ. Poſthâc, chymo ad inteſtina devoluto (qui vel crudior eſt, aut variè degeneratus) ſubſequuntur borborygmi, variaque inteſtinorum irritamenta ; mox tandem ventriculus acrioribus reliquiis cibariis ſtimulatus, roditur flatibus acerrimis Quibus ſingulis ſymptomatibus relatis aliquandiù protractis, ſuccedere poteſt habitualis *anorexia*, *apoſitia*, *dyſpepſia*, *bradypepſia*, *apepſia*, necnon *pica* ipſamet, aut

aut *malacia*, tùm canina fames, & alia mala ex prædictis oriunda.

Turbatur digeſtio ciborum errore ſuccorum digeſtivorum, 1°. ſi illi deficiant; 2°. ſi fuerint vapidi; 3°. ſi nimis acres.

Deficiunt ii ſucci propter quaſcumque evacuationes enormes, tuncque appetitus fermè nullus, dùm ſitis è contrà vix compeſcibilis eſt; prætereàque urinæ paucæ ſunt, ſimul & flammeæ, ſummaque percipitur debilitas. Deficiunt etiam per accidens quidam ſucci, quandò deeſt eorum excretio, ſicut bili ſæpè accidit; quo in caſu, non ſolùm turbatur coctio ciborum in inteſtinis, ſed & vitiatur alvinarum fecum color & excretio.

Vapiditatis digeſtivorum ſuccorum cauſæ ſunt, 1°. ingens fibrarum laxitas, ſeu conſtitutionalis, ſeu accidentalis; 2°. cachexia ſeroſa; 3° alimenta oleoſa, ut & farinoſa non fermentata aſſiduò ſumpta, præſertim torpente ſimul corpore; 4°. demùm obſtructio viſceris alicujus. Quibus de cauſis oritur 1°. debilis appetitus; 2°. nulla vel pauca admodùm ſitis; 3°. plenitudinis ſenſus ferè perpetuus; 4°. deſiderium acrium condimentorum, ciborumve ſimilium; 5°. ſatietas à pauco alimento; 6°. coctio admodùm languida, eaque cruda ac flatulenta; 7°. urinæ multæ, pallidæ, ferè inodoræ, & ſimul alvus pigra; ideòque *urina copiosè de nocte reddita, paucam alvi dejectionem ſignificat*, ex aph. 83 ſect. 4: 8°. denique, iiſdem de cauſis accidunt tumores albi, tùm lethalis debilitas.

Acrimoniæ ſuccorum eſurialium cauſa multiplex agnoſcitur: 1°. animaliſatio intenſior; 2°. uſus acrium ciborum & condimentorum; 3°. metaſtaticus humor prædictis ſuccis mixtus; 4°. cachexia purulenta, ſyphilitica, ſcorbutica, aut à febrilibus reliquiis orta; 5°. digeſtiones acres indè perennatæ. Quibus de cauſis naſcitur deſiderium acidorum potuum, ſordida ſiccaque lingua,

L

aversatio ciborum ex regno animali desumptorum, nauseæ vel vomitus biliosi & putridi; quibus facilè succedunt *anorexia*, *apositia*, dolores colici, diarrhææ biliosæ valdè acres, sanguinis biliosa & putrida constitutio; tùm pulsus parvus, frequens, & sæpè durus; urinæ paucæ, flammeæque & olidæ; tandem febres putridæ, gangrenosæ, corpus citissimè colliquefacientes, & periculosæ, ex aph. 28 sect. 2.

Quod nunc spectat digestionis ciborum læsiones quæ creantur vitio ciborum ipsorum, eæ pendent ab eorum copiâ nimiâ, vel ab incongruâ qualitate; quæ duo nunc examinanda sunt, postquàm dixerimus quid sit qualitas nutritia cibi in genere, & quotuplex cibi species.

Qualitas nutritia esculentorum generalis, seu natura, una est. Ea consistit in partibus mucosis, ac veluti gelatinosis comestibilium rerum, capacibus animalisari. Sed varias species eorum constituunt 1°. major facilitas quâ eorumdem principia nutritia extrahi patiuntur, ac deindè animalisari; quo in casu esculenta dicuntur *euchyma*. 2°. Copia varia contenti principii nutritii in eodem volumine; undè *analeptica* audiunt esculenta quæ continent multam materiem nutritiam: levia verò, quæ nonnisi minimam habent. 3°. Deniquè, varia copia, durities, aut qualitas rerum fibrosarum, aliarumve adjunctarum nutritiæ parti; quâ ratione cibi dicuntur *dyspepti*, aut periculosi. Dyspepti inquam cibi sunt, quando nonnisi difficillimè digeruntur, nec sine præviâ decocturâ, aliâque præparatione. Periculosi verò, qui partibus sui adjunctis nocent, nisi congruo artificio fuerint repurgati, sicut docuit ars aut saltem usus, etiam apud sylvestres homines. Paucioribus verbis similia Hippocrates docuit, lib. de alimento: *alimentum*, inquit, *& alimenti species*, *unum & multæ*.

Nihil ergò verè nutritium est, nisi id quod in substantiam

nutriti capax eſt abire. Minimè nutritia eſt pars fibroſa quæ cibo adjungitur, ſicut nec partes quædam extractivæ, aut acres, latentes plurimis in cibis. Sed partes extractivæ variæ famulantur ſapori : dùm fibroſæ inſerviunt expanſioni organorum digerentium, tùm digeſtioni moderandæ, & corporationi ſecum. Ex quibus datur reſolvere cur cibi, ratione variæ qualitatis, aut molis ſuæ, poſſint eſſe eſca grata, aut ingrata, aut utilis, aut periculoſa variis animantibus : tùm quarè cibus, reipsâ cibus ſit uni animanti, alteri verò venenum, aut alteri medicamentum. Cibus eſt, ſi poſſit animaliſari ab animante aſſumente : venenum, ſi nullo modo illud poſſit mutari, & ſi è contrà valeat maximas facere mutationes in illo : medicamentum deniquè, quandò quidpiam in aſſumente producit præter nutritionem : ex. gr., ſi tardiorem citioremve reddat animaliſationem ; tùm, ſi capax ſit ſenſibiles fibras exſtimulare, aut demulcere, &c.

Nunc verò, reſeratis naturâ & qualitatibus ciborum, videamus quomodò ciborum coctio lædi poſſit, eorum ciborum culpâ. Porrò, ſecundùm ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, apparet hanc ciborum culpam revocari poſſe ad eorum copiam, & ad eorum qualitatem variam ; cujus utriuſque culpæ effectus ſeu ſigna hìc exponenda ſunt, deſignandæque prognoſes.

Nempè cibi turbant digeſtionem ratione copiæ ſuæ, ſi hæc major, vel minor ſit ; nam juſta quædam cibi copia eſt, quoad ætates, ex aph. 14 & 17 ſect. 1 : quoad tempeſtates, ex aph. 15 & 17 ejuſd. ſectionis : quoad morbos acutos, ex aph. 4, 5, 7, 8, 9, 10, 11, 16 & 19 ſect. 1, jam ſuprà citatis, ubi de juſtâ fame.

Signa quæ indicant copiam ciborum eſſe nimis parcam, hæc ſunt : nempè acores bilioſi aut nidoroſi, fœtor oris, ſitis magna,

ſenſus inanitatis junctus cum magnâ debilitate corporis & animi; tandem extenuatio & marcor. Si junius ſit individuum, ſpectandus defectus evolutionis corporeæ, ſicut obſervare eſt apud juvenes qui cibo nimis parco veſcuntur pro more quorumdam Magnatum, praviſſimæ conſuetudini paſſim obſequentium : aut pro fatuitate aliquot plebeïorum, quibus honorum habetur Magnatum errores imitari. Hujus ciborum copiæ minoris prognoſis ſic traditur aph. 5 ſect. 1 : *in tenui victûs ratione delinquunt ægri, ob quod magis læduntur. Quidquid enim contingit, gravius id fit in tenui quàm in paulò pleniori victûs ratione. Idcircò etiam ſanis periculoſa eſt valdè tenuis, & certò præſcripta, ac exquiſita victûs ratio, quoniàm errata graviùs ferunt. Eam igitur ob cauſam, tenuis & exquiſitus victus paulò pleniori maximâ ex parte periculoſior eſt.*

Signa verò quæ indicant nimiam copiam ciborum aſſumptorum eſſe in causâ cur digeſtio lædatur, ſequentia ſunt: nempè ſenſus alicujus diſtenſionis ventriculi ſtatim à paſtu; poſteà, ructus varii, cardialgiæ, anxietates, vel horrores, vel nauſeæ, vel leipothymiæ, vel vomitus : vel & quandòque apoplexia peſſima, aut etiam periculoſa ebrietas.

Quoad prognoſim nimiæ ciborum copiæ, ſufficiant notæ ſequentes. Generali dogmate docetur aph. 17 ſect. 2, *ubi copioſior præter naturam cibus ingeſtus fuerit, morbum creat; manifeſta verò curatio.* Equidem cita curat evacuatio. Secùs verò, præter ſymptomata actualis indigeſtionis ſuprà allata, ab hìnc deindè oriuntur cacochyliæ acidæ, bilioſæ, nidoroſæ, putridæque, ex quibus permulta alia mala ſubſequuntur; nempè borborygmi, tormina, diarrheæ variæ, inappetentia, faſtidium cibi, obſtructiones, cachexia varia, tùm variæ febres. Quinimò actuali indigeſtioni acutiora alia pericula quandòque ſuccedunt, præſertim à potu

multo, ex quo rigor & delirium malum esse legitur aph. 7 sect. 7. Sed quid pejus, quàm temulentia quæ stipatur signis relatis aph. 5 sect. 5, qui hic est? *si ebrius quispiam subitò obdormierit, convulsus emoritur, nisi eum febris prehendat, aut cùm ad horam pervenerit quâ crapulæ solvuntur, vocem recuperet.*

Deniquè, ciborum qualitas valet etiam turbare digestionem. 1°. Si ii sint euchymi apud robustos: dyspepti apud debiles. 2°. Si viru naturali non fuerint purgati, sicut *Manioth* Americanorum, &c. aut si non orbentur parte quâdam extractivâ, beneficio coctionis, qualia sunt portulaca, pisa, fabæ, &c. 3°. Si aquosi apud cachecticos: oleosi, vel euchymi, aut analeptici apud sanguineos, biliosofve. 4°. Si tales offerantur febricitantibus, quales vacuis à febre. *Si febricitanti quis cibum exhibuerit, sano quidem robur, ægrotanti autem morbus*, ex aph. 67, sect. 7. Tùm si victus siccus præbeatur præter consuetudinem, tùm pueris, tùm febricitantibus. Nam, ex aph. 16 sect. 1, *victûs ratio humida, omnibus febricitantibus, pueris verò maximè, atque aliis qui ita vivere consueverunt confert.* 5°. Si cibi invito gustu eduntur; nam, ut fertur aph. 38 sect. 2, *cibus & potus paulò pejor, suavior autem, melioribus quidem, sed insuavioribus anteponendus.* 6°. Si cibi insoliti aut nimìs assueti: *quæ à longo tempore assueta sunt, quamvis deteriora insuetis minùs molesta esse solent. Quare ad insolita etiam facienda mutatio*, aph. 50 sect. 2.

Quod spectat prognosim, facilè concipitur quòd, propter turbatam digestionem occasione pravæ qualitatis ciborum, debeant eadem circiter mala superaccidere, quàm ab aliis indigestionibus.

ARTICULUS II.

Signa ex expulſione alvinarum fecum repetenda.

Quandò alvinarum fecum evacuatio non recedit à ſtatu naturali, illa ſemel fit in die, ſæpèque iterùm, ſine labore nimio, eâ copiâ quæ congruit quantitati ſimul & naturæ ingeſtorum, & intermixtis quibuſdam flatibus; quâ evacuatione expelluntur materies ſubfulſcæ, cylindraceæ, quarum conſiſtentia nec major nec minor ſit, ſicut nec odor nimis fœtidus.

Neceſſariæ hujus functionis vitium patet in conſtipatione alvi, & variis alvi fluxibus. Sed illud patet quoque in variis morbis ipſiſmet, quandò nempè dejectiones non habent formam naturæ morbi accommodatam. Suus enim eſt modus in dejectionibus apud ægros, ſicut apud ſanos, ſuæque aberrationes. Nunc videndum, quid boni vel mali competat morbis variis, quoad dejectiones alvinas. Deindè deveniemus ad morbos formatos, accidentes in illâ functione.

Generalia ſigna bonarum egeſtionum in morbis ſic traduntur ab Hippocrate, lib. de prænotionibus: » Alvi dejectio optima » eſt, ſi mollis eſt & conſiſtat, eoque tempore quo per ſani» tatem dejici ſolet, copiâ verò ciborum ingeſtorum rationi » reſponderit. Talis enim exitus inferiorem alvum benè valere » declarat. At liquida alvi ejectio ex uſu eſt, ſi neque ſtridet, » neque crebrò, neque ex brevibus intervallis excernitur. Fre» quens enim deſidendi labor ægrum fatigat, eique inſomniam » affert. Quòd ſi affatim & ſæpè dejicit, periculum eſt nè » animus deficiat. Verùm pro ingeſtorum ciborum copiâ, bis » aut ter interdiù, aut noctù ſemel, dejici debet, plus tamen » primâ luce, pro hominis conſuetudine. Craſſiorem autem

» fieri dejectionem oportet, morbo ad judicationem tendente.
» Sit etiam subfulva, neque admodùm graveolens. Lumbricos
» quoque rotundos cum alvi excretione prodire, morbo in
» judicationem tendente expedit. In omni verò morbo ventrem
» mollem esse, & mediocriter intumescere convenit. Confer aph.
» 35. sect. 2.

Ibidem, pravæ dejectiones ægrorum ita describuntur: » At
» valdè aquosum, aut album, aut ex viridi pallidum, aut
» vehementer rubrum, aut spumans dejici, hæc omnia mala
» sunt. Præter hæc quoque malum est, quod exiguum, gluti-
» nosum, candidum, ex viridi subpallidum, & læve existit.
» His verò magis lethalia sunt nigra, aut pinguia, aut livida,
» aut æruginosa, aut fœtida. Varia autem his quidem sunt
» diuturniora, nihilo tamen minùs exitialia. Hujusmodi sunt
» strigmentosa, biliosa, cruenta, porracea & nigra, modò
» simul inter se mixta, modò per vices prodeuntia. Flatum
» autem sine sonitu quidem ac crepitu exire optimum. Præstat
» tamen cum strepitu prodire, quàm isthìc revolvi. At qui eo
» modo prodit, ægrum aliquo dolore vexari, aut delirare
» indicat, nisi æger suâ sponte hoc modo flatum emiserit. At
» præcordiorum dolores & tumores, recentes quidem & sine
» inflammatione, murmur solvit circà præcordia; idque potis-
» simùm si cum stercore, urinâ & flatu prodierit, alioquì ubi
» ipsum per se transmissum fuerit, juvat, idque magis si ad
» inferiores sedes descenderit. Ita ille.

Quod nunc spectat morbos in dejectione fecum alvinarum accidentes, ii sunt: nempè alvi Suppressio, Diarrhæa, Vomitus, Ileus, Dysenteria, Tenesmus, Fluxus hepaticus, Fluxus cœliacus, Leïenteria, Cholera, de quibus agendum distinctis paragraphis.

§. I.

Alvi Suppressio.

SUPPRESSIO alvi, ex nomine ſuo nota eſt, eaque diſtinguitur in accidentalem, & in habitualem.

Hujus mali cauſæ ſunt permultæ, & concipitur eas eſſe, vel habituales, vel accidentales. Talia ſunt 1°. bilis defectus in ductu alimentari, vel inſulſa ejus qualitas; 2°. feces inſulſæ, quales ſunt ſæpè ob uſum lactis; 3°. ardor viſcerum abdominalium, creatus ab hæmorrhoïdibus tumentibus aut inflammatis, aut aliâ de causâ; 4°. obturatio recti inteſtini ob calloſum tumorem in ejus tractu vel fine enatum; 5°. ſudatio nimia; 6°. immodica venus; 7°. equitatio longa, longaque vectio in rhedâ; tùm longa inter meditandum ſeſſio; 8°. urinæ profluvium, præſertimque nocturnum, ex aph. 83 ſect. 4; 9°. liquamen viſcoſum in inteſtinis cumulatum, uti ſolemne eſt apud melancholicos; 10°. paralyſis recti inteſtini, qualis ſæpè fit poſt contuſiones nervorum ſacrorum; 11°. glomi vermium, aut retentio nucleorum, pelliumve fructuum, &c.; 12°. diſſolutio adeò intima ciborum aſſumptorum, ut ex iis fex nulla fermè remaneat.

Quandò dejectio alvi dumtaxat retardatur aliquandiù, non morbus eſt, ſed incommodum. Secùs dicendum, ſi illa habitualis fuerit, aut pendeat à cauſis inſuperabilibus, ex quibus nempè immineant varia ſymptomata; qualia ſunt inappetentia, colici dolores, hæmorrhagiæ hæmorrhoïdales, tùm prava nutritio & mala hìnc pendentia; undè varia præcipuè prognoſis, ſecundùm varietatem cauſarum à quibus producitur alvi adſtrictio. Sed, quoad morbos acutos, generaliter melius eſt duram alvum habere, quàm liquidiorem. Liquida tamen alvus bona in febri-

citantibus

citantibus, si fortè talis fiat modo critico: rarò autem id advenit; frequentius est videri ægros à diarrhæis consumptos in decursu febrium; nihilque capacius ad crises retardandas. Pessima imprimis diarrhæa in morbis pleuriticis ac peripneumonicis gravibus, ex aph. 16 sect. 6.

His adde, quòd apud pueros, lactentes præsertim, adstricta alvus mali sit non rarò ominis. Ex Coacâ 109, *in pueris* (illis) *acutâ cùm alvi suppressione & pervigilio, calces velut jactare, ac colorem mutare, & ruborem contrahere, convulsionem minatur.* Idemque censendum de pueris dentientibus, sicut notatur lib. de dentitione.

§. II.

D I A R R H Æ A.

DIARRHÆA vocatur liquida & frequens alvi dejectio. Qui affectus designat actionem intestinorum peristalticam maximè accelerari, vel occasione vitii alicujus localis sensum intestinorum acuentis, qualia sunt aphtæ aliave ulcera: vel sæpiùs, propter acriorem quamdam saburram; seu hæc procedat à cibis malè digestis aut per se acribus, tùm à chymo in intestinis degenerante: seu pendeat à vermibus vivis aut corruptis, tùm à putredine biliosâ, vel & à materiâ hùc appellente, hærente, rodente.

Propter diversitatem rerum excretarum, diarrhæa distinguitur stercoracea, biliosa, serosa, pituitosa, colliquativa, &c.

Symptomata diarrhææ sunt inappetentia, sitis, dolores colici, quandòque tenesmus; tùm urinæ parcæ & turbidæ; virium prostratio; tandemque marcor, si alvi fluxus diuturnus fuerit.

Sequentibus signis licet diarrhææ causas agnoscere. Nempè

si illa stipetur ructu, inappetentiâ, cardialgiâ, aut vomitu accidentali, tunc oritur à vitio concoctionis ciborum. Si torminosa sit, eumdemque locum dolor constanter occupet, id designat vitium quoddam locale in intestinis, ut phlogosim, ulcus, &c. Si adsit febris continua, incusat putrorem rerum latentium in primis viis, tùm sæpè vermes, præsertimque in febribus autumnalibus. Si verò præcesserit diæta moderata, si nullus dolor fixus, si nulla tormina, si absint læsæ coctionis signa: tunc diarrhæa dependet ab humoribus ad intestina confluentibus, imprimìs quandò habitualis est & contingit febri cuidam hecticæ. Exemplo sit diarrhæa colliquativa phtysicorum.

Quod spectat prognosim, diarrhæa quæ accidentalis est, parvi momenti censetur; imò, ex aph. 2 sect. 1, bona est in perturbationibus alvi spontè evenientibus, si qualia oportet purgentur. Bona est etiam in surditate, ex aph. 28 sect. 4; tùm in hydrope, ex aph. 14 sect 6: itemque raris in crisibus aliis. Ad hæc, sanguinem nigrum hâc via emitti quandòque bonum, ex aph. 25 sect. 4. Verùm plurimis aliis in casibus diarrhæa pessimi ominis est, & pejoris quidem pro varietate adjunctorum, sicut patebit in notis prognosticis mox citandis.

Nigræ dejectiones, qualis sanguis niger, spontè prodeuntes, & cùm febre, & citrà febrem, pessimæ, & quò plures colores dejectionum pravi fuerint, eò pejus. A medicamento autem melius, & quantò plures colores fuerint, non pravi. Aph. 21 sect. 4.

Quocumque morbo incipiente, bilem atram suprà vel infrà prodire, lethale. Aph. 22 sect. 4.

Quibuscumque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut à vulneribus, aut alio quovis modo extenuatis, bilis atra sanguini atro similis subierit, ii postridiè moriuntur. Aph. 23 sect. 4.

Tabe detento, superveniens alvi profluvium, lethale. Aph. 14 sect. 5.

Mulieri utero gerenti, si alvus multùm profluat, abortionis periculum est. Aph. 33 sect. 5.

Pleuritide aut peripneumoniâ vehementer detento, succedens alvi profluvium, malum. Aph. 16 sect. 6.

In alvi fluxionibus dejectionum mutationes, nisi in prava commutentur, juvant. Aph. 14 sect. 2.

Longo alvi profluvio detento, spontanea succedens vomitio, profluvium solvit. Aph. 15 sect. 6.

De cætero, quædam sunt notabiles observationes circà diarrhæam, quæ etiam habentur in aphorismis respectu juventutis & senectutis; nempè legitur aph. 20 sect. 2: *Quibus per juventutem alvi sunt humidæ, iis senescentibus exsiccantur; quibus verò in juventute siccæ sunt, iis senescentibus humectantur.* Aphorismo autem 53 sect. ejusdem docetur quomodò senes & juvenes se habeant ab alvo liquidiore aut duriori: nempè, *quicumque alvos habent humidas, ii quidem dùm juvenes sunt, meliùs degunt, quàm qui siccas habent; at in senectute pejùs degunt, ipsis enim senescentibus ut plurimùm resiccantur*, (quia multò minùs edunt.)

Sed difficilè diceretur, quarè *balbi* longo alvi profluvio maximè corripiantur, sicut notatur aph. 32 sect. 6, nisi id fiat eò fortè quòd balbi plerumquè biliosi sint, imò & atræ bili obnoxii, ut traditum est lib. 2 de morb. popul., sect. 6.

§. III.

Vomitus.

Ordinarius vomitus nihil est nisi materierum in ventriculo contentarum per superiora rejectio. Sed & aliquandò feces ipsæ alvinæ vomitu rejiciuntur, sicut fit in ileo, de quo posteà.

Producitur vomitus à contractione simultaneâ musculorum

dilatatorum pharyngis, tùm ipſius diaphragmatis & muſculorum epigaſtricorum, necnon actione fibrarum muſcularium ventriculi, atque pylori ipſius. Quæ contractio multiplex ſympathicè producitur quidem ab irritato potiſſimùm ventriculo; ſed & à multis aliis irritamentis variarum partium.

Vomitum, inquam, produci à cauſis plurimis notum eſt. 1°. Ab irritamento quodam, ſenſui ventriculi nequaquàm proportionato & vellicante tunicam ejus nerveam, quale ſæpiùs latet in cibis nimiâ copiâ aſſumptis, aut omninò inſolitis, aut diutiùs in ſtomacho commorantibus: tùm in eſcis dyſpeptis, vitioſis, acribus, auſteris, vel cùm repugnantiâ aſſumptis. 2°. A ſtimulatione rerum draſticarum, emeticarum, aut venenatarum per accidens aſſumptarum. 3°. A vitio ventriculi ſolius, nempè ab ejus phlogoſi, inflammatione, ulcere, aut aphtis; quæ varia, acuendo ſenſum ejus, faciunt ut res vel mitiores gerant actionem veluti emeticam. 4°. A rebus peregrinis quæ ex inteſtinis ad ſtomachum feruntur, qualia ſunt bilis, feces ipſæ, vermeſque; aut quæ in ventriculum guttatim depluunt, qualia ſunt ſanguis & pus, quæ fluere poſſunt ex ulcere ventriculi rodente & carcinomatoſo.

Ibi quoque memorandus vomitus ille mirabilis & omninò ſympathicus, qui producitur quandò peculiares partes irritantur, nempè fauces, œſophagus, diaphragma, inteſtina, renes, caputque ipſum, necnon & uterus; tùm ille qui fit efficaciâ ſolius imaginationis, v. g. ab odore vel aſpectu rei cujuſdam fœdæ & horrendæ, aut quandò quiſpiam præter conſuetudinem vehitur in equo, rhedâ, vel navi, vel & jactatur in fune ſuſpenſo; nec omittendus ſingularis vomitus leipothymicorum, ut & ille qui accidit in primo gradu aſphyxiæ mephiticæ, qui idem eſt.

Prognosis vomitûs varia est pro varietate causæ & symptomatum, simul & pro naturâ materiei excretæ. Omnium minùs periculosus, qui ab actuali indigestione oritur; nam spontè cessat, cibis evacuatis. Talem vomitum sæpè experiuntur recèns nati, ex aph. 24 sect. 3. Similisque etiam aliis in ætatibus sæpissimè fit per æstatem, ex aph. 21 sect. ejusdem.

Maximè verò periculosus vomitus qui oritur ab incipiente asphyxiâ, tùm ille qui ab inflammatione aut aphtis ventriculi, sicut & ab ulcere ejus. Malus etiam ille, post quem fit singultus & rubent oculi, ex aph. 3 sect. 7. Pessimusque præsertim ab ileo, ex aph. 10 sect. ejusdem.

Nihilo tamen minùs notari debet, vomitum spontaneum bonum esse quandò supervenit longo alvi profluvio, quod ideò sanari docuit observatio, ex aph. 15 sect. 6.

Deniquè varia vomitûs prognosis est, pro variâ materierum rejectarum naturâ. Malum magnum quandò eæ materies sunt æruginosæ, & valdè acres: imò quidpiam lethale habetur, bilem atram vomitu rejici quocumque morbo ineunte, ex aph. 22 sect. 4. Sed prætereà, maximè periculosa vomitio sanguineolenta, aut purulenta. Fit autem quandòque vomitus sanguinis, & quidem gravissimus, non solùm à vulnere ventriculi, sed & ab obstructionibus hepatis aut lienis, ad quem explicandum perperàm invocantur *vasa brevia* dicta, Riolani exemplo. Nam hæc vasa nullam habent communicationem cum cavitate ventriculi, sicut demonstratur apud Winslowium: necnon & nuperiùs demonstratum fuit ab Hallero, qui hanc viam fictitiam vocavit. Fit deniquè vomitus purulentus ex rupto abscessu ventriculi, & ex ulcere ejusdem.

Quandòque tamen vomitus innocuus accidit mulieribus post totalem cessationem fluxûs menstrui, quem natura imitatur

viâ vaſorum exhalantium in ſtomacho ; quapropter, *mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio fit*, ex aph. 31 ſect. 5.

§. IV.

ILEUS, ſeu VOLVULUS.

ILEUS, aliter volvulus dictus vel & *chordapſus*, aut paſſio iliaca, vernaculè *miſerere*, eſt affectio in quâ æger exactiſſimè conſtipatur, enormeſque patitur colicos dolores, & aliquandò tandem per vomitum rejicit omnia in inteſtinis ipſiſmet contenta.

Naſcitur hic affectus 1°. ab impactis materiebus quibuſlibet in fine ilei aut in colo ipſo, quales ſunt feces, tùm nuclei pelleſque fructuum, aut vermes, aut quorum occaſione ileus aliquandò fit per autumnum, quo tempore eum ſæpè accidere notavit Hippocrates aph. 22 ſect. 3. 2°. A tumore ſteatomatoſo inteſtinorum, aut enato in partibus vicinis. 3°. Ab inteſtinorum ſtrangulatione, ob ſubingreſſum partis ſuperioris in inferiorem. 4°. Ab herniâ inteſtinali ſtrangulatâ. 5°. Demùm, à conſtrictione accuratâ inteſtini alicujus tenuis, occaſione irritationis & inflammationis quam ibi creavit acre quoddam draſticum.

In hoc autem affectu non illicò cohibentur materiæ, nec omnia ſymptomata illicò accidunt ; ea fiunt pedetentim, ita ut aliquandò alvus tantùm conſtipata videatur per tres quatuorve dies. Aſt, poſtquàm certo tempore ſuppreſſa fuit alvus, ſuperveniunt tormina, iliacuſque morbus quàm proximè imminet. Tunc tenſio dolorifica percipitur in parte quâdam, quæ tactu magis dolet ; tuncque, paulatinâ motûs periſtaltici inverſione, contenta refluunt ad ventriculum uſquè : &, ſi vomitus non

ſtatim fiat, nauſeæ ſaltem accidunt, aut ſingultus, aut cardialgia, vel & ipſa ſyncope. Quibus in circumſtantiis proſternuntur vires, atque etiam extrema plerùmque frigent, ſudore frigido ut plurimùm ſimul erumpente.

Præſens morbus nullo negotio dignoſcitur ex ſignis in ejus definitione ſuprà recenſitis. Prævidetur autem imminens, ex alvi adſtrictione torminoſâ, accedente meteoriſmo aut ſubſultibus ſingultuoſis. Tandem accedit vomitus, qui nonniſi in exitialibus ileis fit; & ſi ille vehementiùs diſtorqueat ægrum, tunc ſtercus ſuperiora petit, ſingultuſque evadit apertus; imò & quandòque deſipientia & convulſio (conſentiente ſcilicèt nervorum principio cum affectione ſtomachi), tùm multa alia hìnc oriunda mala. Si dolor fixus in parte quâdam permanſerit diutiùs: ſi torminis ſenſatio percipiatur quotiès & quandiù materiæ per illum transfluunt locum, tunc ileus probabiliter pendet à tuberculo, aut alio quolibet vitio topico. Si ab herniâ, facilè cognoſcitur. Verùm ſi febris adſit eſſentialis, ab inflammatione oritur ileus; ſicut apparet eum fieri à fecibus, ſi quibuſdam diebus prægreſſis tardata fuerit alvus; aut à vermibus, ſi verminoſus ſit æger, anteàque vermes complures cacaverit.

Morbus hic eſt per ſe periculoſus. Hìnc enim non ſolùm depravatur aut aboletur chyloſis, verùm etiam ſemper imminet inflammatio in gangrænam facilè propenſa. Si tamen induratæ feces, nuclei, vermes aut hernia eum creaverint, leviſque cauſa videatur, non pauca ſpes. Contrà, ileus ortus à tuberculo, inflammatione, ſubingreſſu, gravior eſt: ab ulcere calloſo, cancroſo, graviſſimus. Si verò vomitus rarus, vires valentes, externa non frigida, pulſus benè conſtitutus, curatur: ſi è contrà, nulla fermè ſpes. Si materiæ fœtidiſſimæ, feceſque alvinæ evomantur, maximum periculum; & contrà, minus.

Bonum autem & ſalutare ſignum, ſi ſymptomata remittant, alvuſque reſolvatur; adeòque optimum, ſi æger commodè deſiderit. Minimè fidendum derepentinæ fecum expulſioni, ſine ullis aut ſaltem ſinè gravibus torminibus accidenti; niſi pulſus & vires interim benè valeant, prædictaque expulſio per aliquot dies duraverit cùm levamine. Quandòque enim omnia brevì recrudeſcunt: ſiquidem gangrena doloſo latens cineri pauliſper ſerpit, ideòque æger ruit in peſſum ac extinguitur. Ex quibus omnibus prognoſibus patet, quarè *ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum*, ſicut docetur aph. 10 ſect. 7. Nam ibi prava referuntur ſigna quæ accidunt in ileo exitiali.

Sed non adeò facilè concipitur quarè, ex aph. 44 ſect. 6, *quibus ex ſtranguriâ volvulus accedit, intrà ſeptem dies moriantur, niſi febre accedente, copioſa urina effluat.* Sic natum volvulum neque vidi, neque viſum fuiſſe audivi. Si tamen talis fortè appareret, putarem eum fieri propter inflammationem aut hæmoſtaſiam veſicæ ſerpentem ad inteſtina, feces indurantem, ſicque ilei creandi capacem. Quâ hæmoſtaſiâ aut inflammatione non reſolutâ, periret æger intrà ſeptem dies, tùm propter urinas retentas, tùm propter ſequelas lethales ilei. Sed, ſi febris tunc accederet & flueret urina copioſa, hæc mihi indicarent liberatam veſicam, liberataque proindè inteſtina. De cætero, Galenus ipſe hæſitavit circà ſenſum hujus aphoriſmi; neque auſus eſt dicere, an germanus eſſet.

§. V.

Dysenteria.

Dysenteria, ſeu difficultas inteſtinorum malè viſa fuit à Veteribus tanquàm pendens ab exulcerationibus inteſtinorum, ſic frequenti effectu dyſenteriæ perperàm accepto, pro dyſenteriâ ipsâ.

Dyſenteria eſt alvi fluxus ſemper torminoſus, plerùmque magis vel minùs cruentus, ſæpè cum febre ſatis magnâ; quandòque ſine febre, ſaltem per initia morbi.

Malum illud mihi videtur pendere ab affectione eryſipelatosâ, magis vel minùs gravi ſuperficiei internæ inteſtinorum præprimìs gracilium; cujus occaſione ita acuitur ſenſus eorum ut tormina ſæviora excitentur à materiebus per hæc loca transfluentibus, & ut hæc tormina conſtituant eſſentiale ſignum hujus morbi, ſicut dolor lateris pungitivus eſt ſignum inſeparabile à pleuritide.

Quæ affectio interioris membranæ inteſtinorum plerùmque ferè naſcitur ſpontè ob diſpoſitionem eryſipelatoſam individui, abſquè quòd ſaburra valdè acer neceſſaria ſit ad illam producendam; tunc ſufficiente naturali fecum acrimoniâ ad dolores excitandos, propter adauctum ſenſum in inteſtinis. Verumtamen ſi dyſenteria, ferè immunis à ſaburrâ præexiſtenti, neglecta fuerit aut perperàm tractata, aut ſi fuerit ab aſſumptis cibis irritata: tunc dejectiones brevì evadunt ſanguinolentæ, brevìque ſubnaſcitur ſaburra magna eaque acerrima, cujus morſu morbus acuitur, ſuccedente ut plurimùm febre admodùm putridâ & gangrænosâ, valdè lethali.

Quæ dyſenteriæ exacerbatio minimè mirabilis videbitur, ſi attendatur ad frequentiam phlictænarum quæ eryſipelati, etiam

externo accidunt, & quæ in inteſtinis ſunt forſan faciliores ob ſpurciciem loci, tùm propter tenerrimam membranæ villoſæ naturam. Porrò phlictænas illas, magis vel minùs latas, facillimo negotio lacerari quaſi viſibile eſt; adeòque intelligitur quarè gangræna tam citò quandòque accidat, imò & ſphacelus, quandò ſaburra biliosa acerrima & copioſa adeſt, unà cum biliosâ conſtitutione ægrotantis in putredinem valdè pronâ: Quarè verò in caſibus mitioribus, ac ferè ordinariis, tantummodò contingat effluvium ſanguinolentum quo dejectiones cruententur magis vel minùs, pro latitudine ſcilicet excoriatarum phlictænarum, ſimul & pro acutie irritationis hùc attrahentis proportionatum affluxum ſanguinis & humorum aliorum. Hìncque intelligitur, quomodò dejectiones brevi tempore evadant cruentæ in dyſenteriâ, quamvis ſub initiis morbi tales non ſint.

Ex prædictis pariter concipitur, quarè febris ut plurimùm abſit ab incipiente dyſenteriâ, niſi hæc celeri paſſu iverit in augmento ſuo; quarè verò tandem ea accendatur, ſi morbus negligatur & ſævior evadat; tùm quarè putridum deniquè induat characterem, ubi dantur evidentiſſima ſigna gangrænoſa. Nec alio modo, ut opinor, naſcuntur dyſenteriæ illæ caſtrenſes adeò lethales, niſi quia tunc viget bilioſa conſtitutio putrida, aut vulgaris methodus medendi huic morbo non valet avertere tantum periculum; tùm quia exindè naſcitur fœtiditas cadaveroſa, capax ſpargere contagionem febrilem quæ adjungitur dyſentericæ diſpoſitioni & efficit morbum peſſimè complicatum.

Prædicta dyſenteriæ aitiologia nobis indubia videtur, 1°. ex eventu felici medelæ ad illam accommodatæ; 2°. ex eo quòd dyſenteria popularis non graſſetur niſi vigente conſtitutione biliosâ, præſertim poſt tempeſtates ſiccas, ex aph. 16 ſect. 3; tùm autumno,

ex aph. 22 fect. ejusdem: potissimùmque, ut nobis apparet, quandò æstas præcedens valdè fuit tonitruosa. Quibus nempè temporibus regnare simul solent externa erysipelata, tùm icteri, necnon & febres biliosæ, tàm intermittentes quàm continuæ; præsertimque apud juvenes & viros, quibus dysenteriam magis familiarem esse notatur aph. 30 sect. 3.

Nasci etiam dysenterias populares in fine hyemis & adventante vere, non inauditum est. Sed eæ pertinent ad effectus constitutionis biliosæ extensæ propter tempestatis irregularitatem, de quibus casibus agitur aph. 11 & 12 sect. 3; eæque dysenteriæ semper sunt mitiores quàm per autumnum, quia jam debilitatur constitutio biliosa quæ est causa earum.

Pariter certum est oriri quandòque dysenterias accidentales & sporadicas, propter accidentalem nuditatem intestinorum faciei internæ; qualis nuditas fit sæpè occasione superpurgationis; qualis etiam fit post alvi profluvium, sicut notavit Hippocrates aph. 77 sect 7, qui jam ibidem scripserat aph. 23, dysenteriam quoque nasci ex sinceris dejectionibus.

Symptomata dysenteriæ varia sunt pro vario tempore morbi & ejusdem gradu vario, eaque paulò longiorem discussionem requirunt propter morbi hujus gravitatem, simul & obscuram opinionem quæ de illo passim habetur. Nempè, si dysenteria sit adhuc potiùs imminens quàm formata; id est, si incipiat tantùm adaugeri sensus intestinorum propter nascentem ibi phlogosim: tunc adsunt tantùm fluidæ quædam dejectiones copiosiores & stercoreæ, magis vel minùs torminosæ, sed non adhuc cruentæ. Quæ conditio durat aliquot horis, magis vel minùs, pro celeritate morbi adventantis.

Sed dysenteriæ jam incœptæ & formatæ alia sunt symptomata. Cùm jam detur inflammatio erysipelatosa formata, ideòque

sensus acutus intestinorum tenuium (in quibus plerùmque sedet affectio hæc), acutior adhuc evadat: tunc temporis jam primò ingravescunt tormina, sedentia præsertim circà umbilicum ubi convoluta sunt intestina prædicta. Deindè, superficies intestinorum phlictænis probabiliter affecta, facillimè vulneratur phlictænis illis abrasis; & indè fit, ut sanguis exstillet magis vel minùs copiosus, quo mediante dejectiones plus minùsve tingantur.

Consequenter tormina ingravescunt per augmentum dysenteriæ, iisque ad crassa intestina quandòque delatis, verus quandòque adjungitur tenesmus. Prætereaque dejectiones fiunt frequentiores, liquidiores, magis sanguineolentæ, fœtidiores, sæpèque sanguinem purum mentiuntur: contingente simul maximâ prostratione virium, & febre majori. Quo tempore, si dysenteria gravior sit (vel si neglecta aut perperàm tractata ingravescat admodùm), superveniunt symptomata febris putridæ: præsertim, si constitutio popularis inclinaverit multùm versùs putrorem; vel &, vigente interim maximâ febre maximâque prostratione virium, dejectiones tórminosissimæ fiunt pro tempore, quo brevi elapso mitiores evadunt, tandemque indolentes. Sed illis induciis non fidendum; tunc enim dejectiones stipantur odore cadaveroso, sæpèque formidatissimo singultu, necnon frigore extremorum: quibus certissimum habetur gangrænæ lethalissimæ indicium.

Quoad *statum* dysenteriæ, ferè nullum distinguere est, si tempore augmenti jam accesserit gangræna, signis suprà relatis agnoscenda. Tunc enim ægrotantes brevissimè intereunt; ideòque fit, ut in ipso morbi augmento veluti habeatur status ejusdem, imò & terminatio, nempè mors. Sed si dysentericum erysipelas non pendeat ab humore valdè acri, vel si illud medelâ

congruâ paulisper cicuratum fuerit: tunc conceditur huic morbo *status* notabilis, imò & satis quandòque longus, ut longissimus dici possit. Quo labente tempore, dejectiones manent semper torminosæ & frequentes; sed eæ tunc sunt magis serosæ, & semper fœtidiores quàm in augmento, earumque color sanguineus dilutior sensim evadit, imò quandòque deletur. Sic procedente malo, quousquè tandem declinatio illucescat sub torminibus mitigatis, dejectionibusque sensim tardatis ac paulisper inspissatis.

Tunc datur tempus declinationis, quo labente, resolutio erysipelatis intestinalis contingit & symptomata pedetentim pacantur. Sed si induciæ illæ, quæ apparuerunt in fine statûs morbi, non ducant ad felicem resolutionem, tunc accidit suppuratio valdè tædiosa valdèque chronica, uti competit erysipelati suppurato; exindèque dejectiones fiunt evidenter purulentæ, plus vel minùs, pro latitudine ulceris; & prætereà, consequentiæ multæ subsequuntur, eæque dolosæ admodùm. Nempè chronicus alvi fluxus purulentus, qui aliquandò quidem curatur; sed qui sæpiùs abit in veram febrem hecticam aut in ascitem: adeòque morte inevitabili sæpiùs terminatur.

Prædicto modo solet procedere dysenteria si gravissima sit, si neglecta fuerit ab initio aut perperàm tractata. Sed ex praxi meâ compertum mihi est illam minimè affectare moras adeò longas, eamque paucorum dierum spatio feliciter plerùmque terminari beneficio resolutionis; dummodò ipsi occuratur, prout ex prædictâ aitiologiâ intelligitur à Medico attendenti.

Quod spectat dysenteriæ diagnosim, morbus patet ex dejectionibus torminosis sæpiùsque simul cruentis. Quæ tormina sævire magis solent circà umbilicum, quia ibi sedent tenuia intestina in hoc morbo præprimis affecta. Indèque fit, ut illa

tormina ſævitiem ſuam exerceant paulò antè quàm ſingulæ accidant dejectiones : quamvis tamen, malo ad inferiora inteſtina aliquandò ſerpente, tormina illa totum abdomen torqueant, eaque etiam ſtatim antè dejectiones eveniant. De cætero, qui perſpecta habuerit diverſa diverſorum hujus morbi temporum phœnomena, facilè quoque judicabit quodnam eorum temporum percurratur.

Sicut dyſenteriæ ſymptomata & diagnoſis merentur attentiones peculiares, ita & prognoſis : nam planum eſt prognoſim variam eſſe, pro vario morbi ſtadio & intenſitate. Quoad varia ſtadia, licet dicere in genere, quòd dyſenteria incipiens facillimè ut plurimùm perſanetur, ſi ea debelletur quantociùs ope congruarum venæ ſectionum celeriter celebratarum, & quouſquè tormina fermè deleantur ; adhibito ſimul potu quàm copioſo & demulcente, qualis eſt aqua vitulina pro omni cibo aſſumpta, quæ & ibi forſan gerit vices conductoris electrici. Ad quod opus perficiendum, utiliſſimum quidem eſt exhibere radicem braſilienſem, ſemel atque iterùm pro re natâ, quandòque & potiones rhabarbarinas ; ſed attendere oportet, quòd eo dumtaxat tempore id faciendum ſit, quo tormina jam fermè pacata ac deleta ſunt. Secùs radix illa, quantùmvis decantata ſit, nocet admodùm, ſæpiùſque benignam dyſenteriam facit degenerare in malignam. Item cane & angue pejora cenſemus cliſmata omnia, ſicut & medicamina oleoſa, tùm opiatica. Neque, ut opinor, originem aliundè trahit malignitas, lethalitaſque ſumma quarumdam dyſenteriarum epidemicarum. De cætero, *dyſenteria, ſi ab atrâ bile ortum duxerit, lethalis*, ex aph. 24 ſect. 4.

Prognoſis dyſenteriæ in augmento poſitæ non adeò benigna eſt, ſi incipiens fuerit neglecta aut perperàm tractata. Plerùmque

tamen in juvenibus aliundè ſanis, morbus hic quantùmvis aliquandiù neglectus, poteſt adhuc curari, ſed paulò difficiliùs, beneficio rerum ſuprà indicatarum. Nihilominùs, bonum hunc eventum minimè obtineri fas foret, ſi maxima ad gangrænam daretur diſpoſitio. Nam his in circumſtantiis brevì conclamatum eſt de ægro; indèque apparet, quarè dyſenteria perperàm tractata ſub initiis ſuis, ſit quandòque lethaliſſima: imò & aliquo modo peſtilens habita fuerit à quibuſdam.

Periculoſiſſima quoque prognoſis, quandò dyſenteria ſtatum ſuum percurrit cum pravis ſignis. Hìnc enim metus eſt, nè ad minimum ſuperveniat ſuppuratio faciei interioris inteſtinorum, quæ difficillimè ſanatur. *Ex diuturno partium circà ventrem dolore, ſuppuratio*, inquit Hipp. aph. 22 ſect. 7.

Iiſdem de cauſis, dyſenteriæ abeuntis peſſima quoque prognoſis eſt, quandò præteriit alia ſtadia ſua cum malis ſignis. Tunc equidem, ſi gangræna devitetur, incidere eſt in ſuppurationem, quæ valdè chronica & periculoſa eſt etiamſi levior foret: & quæ aliquandò ita rodens eſt, ut brevì mortem accerſere valeat; undè patet ratio cur, ex aph. 26 ſect. 4, *dyſenteriâ vexato, ſi carunculæ ejiciantur, aut dejectiones nigræ, lethale ſit.* Sed quandò dyſenteria in longum dumtaxat trahi videtur, non apparente evidenti ſigno ſuppurationis, hìnc metuendum eſt, nè tandem deperdatur appetitus ſimul & chyloſis, & nè oriatur cachexia lethalis quæ febre lentâ ſtipetur; proindeque, ex aph. 3 ſect. 6, *in longis dyſenteriis, cibi faſtidia malum denunciant; & ſi accidunt cum febre, pejus.* Neque tunc periculum minus, *ſi dyſenteriæ leïenteria ſuccedat*, ut monetur aph. 78 ſect. 7.

Prognoſis conſequentiarum dyſenteriæ liquidò jam conſtat ex prædictis. Quis dubitare poſſet de morte *aſcitici* aut maraſmodei hominis, ita affecti poſt toleratam longam dyſenteriam?

Terminabimus has notitias de dyſenteriâ, memorando quamdam ſpeciem dyſenteriæ quam Græci *aimateran* paſſim vocârunt, quæ ſæpiſſimè critica eſt in chronicis malis, & quam in febre biliosâ criticam quoque aliquoties ipſe ego obſervavi. In hoc conſiſtit dyſenteria illa, quòd tunc fiat cruenta excretio ſanguinis per inteſtina, ſicut per uterum mulieribus, quibuſdam per nares, nonnullis per hæmorrhoïdas : ſic naturâ expurgante vitium gravioris mali, ſub ſpecie ſanguinis magis vel minùs nigri & copioſi, ſæpè etiam pici liquidæ ſimillimi. Undè intelligitur, quarè & quomodò *lienoſis accedens dyſenteria, bono ſit*, ex aph. 48 ſect. 6 : ſicut etiam *à furore dyſenteria, aut hydrops, aut vehemens mentis alienatio, bono eſt*, ex aph. 5 ſect. 7. Quarè demùm, ex aph. 43 ſect. 6, *lienoſis qui dyſenteriâ corripiuntur, ſi longiùs protrahatur dyſenteria, hydrops, aut lævitas inteſtinorum ſuperveniat, & moriantur?* Sicut expreſsè quoque notatur coacâ 466.

§. VI.

Tenesmus.

Tenesmus dicitur aſſidua & inanis cupiditas egerendi quâ nihil egeritur, præter modica cruenta, vel mucoſa, quandòque & purulenta.

Multa ſymptomata dyſenteriæ ſimilia infert teneſmus, ſæpè eamdem cauſam & diſpoſitionem obtinens, niſi quòd in teneſmo vehementiores ſint nixus. Sed ii affectus loco diſcrepant, cùm dyſenteria ſedeat quandòque in cunctis inteſtinis, recto non excepto; teneſmus verò, nonniſi in hoc eodem.

Variæ teneſmi cauſæ agnoſcuntur; nempè 1°. phlogoſis recti inteſtini, de genere dyſenterico; 2°. locales inteſtini recti irritationes, factæ ab aſcaridibus, à pure hùc affluente, vel & occaſione

occaſione calculi veſicarii, &c. 3°. hæmorroïdes tumentes, aut inflammatæ.

Teneſmus plerùmque ſymptoma eſt diarrhϾ, dyſenteriæ, calculi veſicæ, aut ſtranguriæ. Sed aliquandò idiopathicus eſt, ſicut ſæpè contingit graſſante dyſenteriâ; quo ſcilicèt tempore plures ægrotantes teneſmo dumtaxat tentantur, qui tamen neglectus dyſenteriam plerùmque invehit.

In genere, morbus hic ex ſe ſatis levis eſt. Sed cùm eadem habeat pericula ac cauſæ à quibus pendet, periculoſus eſt ſi ortum duxerit ab aphtis, à dyſenteriâ inveteratà: præſertim, ſi febris ipſi acceſſerit, tùm abſceſſus, aut fiſtula, aut gangræna podicis.

Ad hæc, *mulieri in utero habenti, teneſmus ſuperveniens abortum facit*, ut legitur aph. 49 ſect. 5.

§. VII.

Fluxus Hepaticus.

FLUXUS hepaticus eſt alvi fluxûs ſpecies, in quâ materiæ liquidiores atque frequentiores ejiciuntur, & prætereà tinctæ ſanguine diluto, aquoſo, & loturæ carnium recentium ſimili, ſine dolore, ſine torminibus, aut ſaltem ſine ullo dolore vivido.

Producitur hic morbus 1°. à dyſenteriâ degeneri; 2°. ab affectibus melancholicis inveteratis; 3°. à ſcorbuticâ ſanguinis diatheſi.

Equidem, dyſenteria quæ abit in ſuppuratum, quandòque relinquit ulcera chronica aut aphtas, quibus malè deterſis & aſſiduò irritatis ab alimenti ſaburrâ copioſiore, exſurgunt carnes fungoſæ, multo ſanguine refertæ, parùm dolentes, attactu leviſſimo lacerandæ; à quibus effluit ſanies ſanguinolenta multa, quæ diluit coloratque feces alvinas.

Quandò autem ſanguis melancholicus hæret in radicibus venæ portarum propter reſiſtentiam oblatam ab hepate obſtructo, tunc fieri poſſunt *hæmoſtaſæ* & varices in tenuibus inteſtinis; quibus laceratis, ſanguis diſtillaturus erit paucâ quidem quantitate ſimul, ſed ſæpè repetitâ aut ferè perpetuâ; copiosâ indè ſanie ſimul affluente.

Demùm, à ſcorbuto confirmato naſcuntur eroſiones variæ variis in partibus texturæ delicatoriis, ſæpiùſque ideò in inteſtinis. Quo in caſu, facilè concipitur quòd his eroſionibus per labentes feces acres abraſis, neceſſariò effundatut ſanioſus ſanguis, quo dejectiones eliquentur atque tingantur.

In omni fluxu hepatico, ſanguis colore dilutiſſimus fluit ſaltem per intervalla, ſi non continuò; qui ſanguis, modò quantitate majori adeſt in dejectionibus, modò minori, modòque cum pure aliquo permixtus. Quandòque etiam pus ſincerum interim apparet, aut cum fecibus alvinis permixtum. His ſignis, facile eſt fluxum hepaticum agnoſcere.

Quoad cauſas dignoſcendas, facilè quoque ediſcitur nùm dyſenteria neglecta præceſſerit, nùmve ægrotans ſit atrabiliaris confirmatus, nùmve acrimoniâ ſcorbuticâ imbutus?

Hepaticus fluxus morbus eſt chronicus admodùm, difficillimus curatu, atque etiam inſanabilis, nempè pro cauſarum ejus naturâ & dominio. Brevì marcor, maraſmus & virium exolutio ei ſuperveniunt, niſi fortè profligari poſſint vitia à quibus pendet.

§. VIII.

Cholera.

CHOLERA ſeu cholera morbus, gallicè *trouſſe-galant*, eſt affectus in quo contenta in ventriculo & inteſtinis ſursùm ac

deorsùm eodem tempore rejiciuntur, concomitantibus angoribus maximis & summâ debilitatione.

Creatur terribile hoc malum propter acrimoniam specificam, eamque maximam, quâ forsan bilis præsertim cystica corripitur, sicut & cæteri succi tàm gastrici quàm intestinales; quæ acrimonia potissimùm gignitur apud biliosos in fine calorum æstivorum, præcipuè quandò hæc tempestas valdè sicca fuit & calida, simulque admodùm tonitruosa. Et hæc est ratio, cur malum illud tunc temporis populare aliquandò evadat per autumnum, affligatque imprimis mediam ætatem, ut docetur aph. 30 sect. 3. Sed similis acor deleterius choleram creans, aliundè quoque nascitur alio in tempore sicut & in ætate aliâ, nempè ob errores graves in diætâ aut in exercitiis, vel & ob assumptionem venenatarum quarumdam rerum.

Hoc in morbo, qui omnium ferè magis præceps est, adsunt symptomata multa, eaque gravissima. Nempè singultus ferè perpetuus, cardialgia, leipothymiæ, syncopes, sitis ingens, frigus extremorum, imò & corporis totius algor, summa prostratio virium, faciei livor horribilis; tùm spasmi valdè crudeles, qui varios musculos infestant, potissimùmque tibiales & femorales. Quibus omnibus accidentibus mors cita supervenit, nisi citò occurratur.

Nihil magis empyrismum & incertitudinem redolere mihi videtur, quàm vulgaris praxis Medicorum in hoc debellando morbo. Sed experientia triginta annorum mihi comprobavit, choleram citò sanatum iri intrà viginti ferè quatuor horas, mediante ingenti admodùm copiâ aquæ levis vitulinæ, quasi urceatim epotæ, quâ mirabiliter averruncatur atque deletur acor cholericus. Aretæus primus fortè fuit qui aquam consuluerit in hoc morbo. Sed indigna suî profert, ubi de illo auxilio

loquitur; neque ab eo Medico illud proponitur tanquàm medela præsentissima & per se sola sufficiens. Sydenhamus mentionem expressiorem fecit de eodem medio, cui in fine adjungit aliquod paregoricum. Sed eo ultimo medicamine rarissimè usus sum; mihique videtur, aquam ibi gerere vices conductoris ad dimovendam acrimoniam electricam bilis, quæ resinosa propemodùm facta est efficaciâ æstatis valdè calidæ & siccæ, undè potus ille per se solus sufficit. Sed si quispiam, exemplo Syndenhami, uti vellet paregoricis, caveat nè citiùs adhibeantur. Tunc enim nocerent, suspendendo evacuationes, ac proindè impediendo aut retardando integram miasmatis cholerico-electrici extinctionem & expulsionem.

§. IX.

Leienteria.

Leienteria, levitas intestinorum perperàm dicta (quasi æquabilis facta fuisset superficies intestinorum), est alvi fluxus in quo non solùm materiæ fecales per anum egeruntur, sed & assumpta haud mutata, aut leviter dumtaxat.

Patet in hoc morbo graviter turbari ac impediri coctionem ciborum, & reipsà adesse *apepsiam*, magis vel minùs completam. Quod fieri quidem potest, tùm propter Trimalcioneas comessationes & abusum ciborum dyspeptorum; tùm propter febres longas, & obstructiones indè oriundas. Sed sæpiùs leïenteria accidit, quandò vires à morbo gravi prægresso exhaustæ fuerunt; præsertim, si morbus ille affecerit organa ciborum coctioni vacantia. Hâc ratione solemne est leïenteriam superaccidere hecticis, aliisque ægrotantibus longo morbo exhaustis: sed illam præsertim succedere dysenteriæ malè terminatæ, ex aph. 78 sect. 7. Nec aliâ de causâ leïenteria frequentior accidit per

autumnum quàm per alias anni tempestates, sicut notatur aph. 22 sect. 3 : nisi quia autumnus dysenteriis epidemicis perquàm obnoxius est, ex eodem aphorismo. Interdùm etiam leïenteria sequitur pulmonum vomicam, vel abscessum abdominis, vel pectoris aut renum suppurationem, certissimo ægrotantis periculo.

Diagnosis leïenteriæ patet in cibis sincerâ sub suâ formâ egestis. Quòd verò spectat prognostica hujus morbi, hæc sunt : Si morbus iste homini adhuc juveni accidat ob intemperantiam aliquam, vel propter abusum pharmacorum purgantium, sat feliciter potest curari, mediante diætâ euchymâ, analepticâ, parcissimâque, additis pharmacis roborantibus. Quæ curatio dùm tentatur, etiam leïenteriâ jam longâ existente, si ructus acidus qui anteà non adfuit accidat, bonum est signum, ex aph. 1 sect. 6; nam indicat jam inchoari coctionem ciborum, quæ priùs nulla fiebat. Cæterùm, leïenteriæ solent in tabem desinere, & hic eventus sequentibus signis præsagitur; nempè spirandi difficultate & pectoris morsu, ut probat experientia. Adde quòd leïenteria nunquàm magis lethalis sit, quàm dùm sequitur longam diarrhæam, longamve dysenteriam; tùm illa quæ accidit lienosis post longam dysenteriam, nam omninò lethalis est, ex aph. 43 sect. 6.



CAPUT SEXTUM.

De viis per quas chylus ad ſanguinem vehitur.

NATURALEM chyli ſecretionem, ejuſque traductionem ad ſanguinis oceanum exerceri judicatur ex tranquillâ digeſtione ciborum, quæ ſoliti appetitûs & pulsûs congrui impiger pediſequa ſit. Sed probatur præſertim ex perennitate virium, ſimul & boni appetitûs conſtantiâ; tùm imprimis ex abdominis detumeſcentiâ ac mollitie, quæ contingunt aliquot horis elapſis poſt paſtum. Quibus ſignis addatur debita fecum alvinarum conſiſtentia, moles & color.

Secretionem verò chyli perturbatam indicat & producit 1°. diarrhæa, ſicut & aliæ alvi fluxûs ſpecies; 2°. habitualis digeſtio viſcoſa, quam inſequitur adſtrictio alvi ſimul & intumeſcentia abdominis, ſicut præcipuè obſervatur apud ſtrumoſos; 3°. bilis & nutritionis defectus; 4°. debilitas & marcor; 5°. obſtructiones meſenterii; 6°. labefactatio tunicæ interioris inteſtinorum ob dyſenteriam ſuppuratam. Quæ omnia ſignis ſuis, tàm diagnoſticis quàm anamneſticis, facilè innoteſcunt attendenti.

Prognoſis impeditæ ſecretionis chyli ſpectat cauſam illius. Sed facile eſt agnoſcere, maraſmum lethalem ſpontè enaſci quandò functio illa gravem læſionem aliquandiù patitur; & quòd, vel minor læſio ejus, ſemper malum ſit periculoſum.



CAPUT SEPTIMUM.

De Chyli natura.

BONA chyli natura & conſtitutio indicantur congruo ſtatu abdominalium viſcerum, optimâque ſanguinis & humorum idioſyncraſiâ, quibus fovetur bonus habitus corporis, congruaque ejus nutritio.

Verùm chylus in qualitate ſuâ mucosâ & ſaccharatâ læditur, duplici potiſſimùm de causâ, 1°. ſi crudior ſit, 2°. ſi nimiùm acer.

Chylum crudiorem generari obſervatur præſertim apud pueros, necnon homines ſegniorem vitam degentes, præcipuèque ſi utantur cibis dyſpeptis; tùm apud virgines debiles, ut & apud pauperes; non omiſſis artificibus loca humida, vel halitu acido referta habitantibus, quales ſunt fabricatores cereviſiarum, &c.

In illis qui ita affecti ſunt apparent ſequentia ſigna: 1°. familiaris langor famis & ſitis, niſi pro rebus valdè fragrantibus; 2°. habitualis plenitudinis ſenſus; 3°. frequens cardialgia, & eructationes ſaporem ciborum aſſumptorum imprimis referentes; 4°. urinæ pallidæ; 5°. feces acidum ſpirantes, imò & quandòque ſudor ipſe; 6°. debilitas corporis; 7°. cachexia humida; 8°. obſtructiones viſcerum, aliaque ex prædictis oriunda mala. Sed ii homines difficillimè laborant morbis inflammatoriis, niſi catharralibus ad ſummum.

Quoad acrimoniam, chylus dicitur de illâ quidpiam habere, quoties notabili qualitate acidâ aut nidorosâ intinctus eſt; tùm quandò maſſa humorum imbuta eſt acrimoniâ quâcumque, qualis eſt ex gr. ſcorbutica, impetiginoſa, &c. Ex

Eæ acrimoniæ ſuis ſignis dignoſcuntur. Acrimoniam ſcilicèt acidam deſignant, 1°. ructus acidi, quibus *ſoda*, gallicè *fer-chaud* ſæpè adjungitur; 2°. deſiderium aromaticorum, dùm aceſcentia abhorrentur; 3°. tormina frequentia, ſæpèque morbi pruriginoſi.

Nidoroſam verò acrimoniam declarant, 1°. ructus nidoroſi; 2°. ſitis ſæpè magna; 3°. appetitus dejectus, præſertim ergà cibos animalis regni; 4°. deſiderium acidorum; 5°. diarrhææ bilioſæ fœtidiores; 6°. debilitas, ob ineptitudinem ad nutriendum; 7°. urinæ ſæpè graveolentes ſæpiùſque nimis parcæ; tùm febres putridæ & gangrenoſæ.

Impetiginoſa demùm acrimonia indicatur per impetigines habituales, variaſque cutis maculas proſapiæ illius. Scorbutica verò innoteſcit digeſtionibus valdè turbulentis, laſſitudinibus aut anhelationibus ſpontaneis, tumore atque graveolentiâ gingivarum, tùm maculis nigris & indolentibus quæ erumpunt imprimis ſuprà tibias, aut crura.

Cæteræ autem acrimoniæ poſſunt etiam obſervari, quales præſertim creantur ab humoribus metaſtaticis aut à reliquiis morborum, ſicut Medico licet judicare pro marte ſuo. Sed de illis pauca dicemus capite nono.



P

CAPUT OCTAVUM.

De Sanguine et ejus natura.

QUOTIESCUMQUE ſanguis ita conſtitutus eſt, ut cruor bonus adſit in quantitate congruâ, illeque potius redundet quàm deficiat; toties datur laudanda ſanguinis conſtitutio ſeu natura perfecta; qualis putatur eſſe apud homines benè valentes ætatis mediæ, præcipuèque juvenilis.

Multis verò de cauſis nequit ille bonus ſtatus ſanguinis perennare in omnibus hominibus variam ætatem agentibus. Mutationes hâc occaſione contingentes in eorum corporibus, faciunt ut ſuus ſit ſtatus ſeu idioſyncraſia, vel conſtitutio ſanguinis pueritiæ ſimul & adoleſcentiæ: ſuus juventuti: tùm virilitati & ſenectuti ſuus; qui ſinguli competunt variis functionibus ſingularum illarum vitæ humanæ periodorum.

Utinam illibata ſemper maneret ſanguinis conſtitutio quæ ſingulis ita congruit vitæ periodis! Homines ſervarentur immunes à morbis, præter eos qui culpâ eorum incidunt; nec ii morerentur, niſi placidiſſimâ illâ morte quæ in ſummo ſenio contingit, quia tunc tandem deficit ſenſus & irritabilitas. Verùm dantur cauſæ innumeræ latentes in rebus inevitabilibus, præcipuè apud homines degentes in regionibus temperatis, quarum efficaciâ ii patiuntur varias mutationes eaſque frequentiſſimas in ſanguine ſuo. Earum cauſarum multæ profectò pendent ex ratione vivendi diversâ, acceptâ ſecundùm majorem latitudinem; ſed multæ efficaciores habentur in magnis & crebris cœli mutationibus. Iſtæ enim ſunt pleræque inevitabiles & potentiùs agunt; dùm ratio vivendi non admittit ubiquè terrarum eoſdem errores:

quia omnibus mundi plagis non eſt idem libidinum quarumcumque aculeus, nec poteſtas eadem. His adde, quòd & in unâ eâdemque regione, mutationes ab inclementiis cœli inducendæ in ſanguinem diſcrepent etiam ſecundùm ejuſdem locos, aërem & aquas; & quòd ideò locus unus ſæpè tantùm diſcrepet à cæterâ regione ſuâ, ac regio una diſcrepat à cætero mundo. Nam, ſicut anni tempeſtates ſunt ſibi conſtanter æquales in aliquibus plagis mundi, eæ è contra ſunt minùs æquales in aliis; imò & magis inæquales in quibuſdam locis unius ejuſdem regionis, quàm in reliquâ parte illius, &c.

Maximum ſanè meditationis argumentum! Sed quia inutile foret, imò periculoſius nimias ſubtilitates affectare circà hanc quæſtionem, longè melius reputaverim admittere quatuor duntaxat conſtitutiones hominum, quas ſagax Hippocrates deſignavit pro numero quatuor tempeſtatum anni à quibus illæ inducuntur. Hoc unum tamen ſpero, æquè ac exopto, nempè quòd comprobetur quinta una conſtitutio, communis inter quatuor præcedentes, conſtitutio ſcilicet electrica. Hæc enim valet plus minuſvè inficere conſtitutionem ſanguineam, bilioſam, atrabilioſam & pituitoſam, de quibus per partes actum fuit articulo ſecundo capitis ſecundi, neque dubitaverim illam inter reliquas non raro dominari.



CAPUT NONUM.

De sanguinis formatione & genesi humorum.

QUANDÒ sanguinis & humorum formatio genuinum sequitur naturæ votum, tunc secretiones cæteræque functiones omnes variis individuis propriæ exercentur ut par est; tuncque ideò viget sanitas eorum, quæ est naturale signum statûs illius perfecti.

Quærenti ex quibus causis pendeat bona sanguinis & humorum formatio, respondebitur eam pendere ex debitâ assumptorum ciborum animalisatione, simul & ex necessariâ quorumcumque excrementorum & recrementorum secretione ac excretione. Horum enim beneficio, massa sanguinis & humorum bona constituitur & pura.

Consequenter, si assumptorum animalisatio ut & animalisatorum depuratio non rectè procedant & inciderint in aliquem excessum aut defectum; hìnc planum est necessariò labefactari constitutionem sanguinis, ut & crasim humorum ex illo emergentium.

Porrò certum est prædictam alterationem pluribus de causis contingere. Quæ causæ habentur in usu sex rerum homini inevitabilium, aëris nempè, cibi & potûs, motûs & quietis, somni & vigiliæ, excretorum & retentorum; tùm animi pathematum. Nam cujuscumque regionis fuerit homo, cujuscumque ætatis, & quodlibet coluerit artificium; ille semper cogitur prædictis uti rebus pro ætate & regione suâ, tùm pro loco suo, & pro arte quam profitetur; proindè quilibet homo necessariò afficitur, si aliquibus his rebus abutatur, aut si lædatur ab illis: tùm si ab aliquibus abstinuerit præter rationem.

Hìnc concipitur efficacia varia variæ vivendi rationis, tùm quarè homines gaudeant vario temperamento, pro vario modo quo vivunt & pro varietate loci quem habitant. Neque proindè latet ratio, cur constitutio variorum populorum diversa sit, sicut & artificum & individuorum diversorum.

Exindè pariter elucet, cur sanguis & humores acrimoniâ multifariâ intingantur; nempè si quædam excrementa subtilia retineantur ob cœli inclementiam aliquam; vel si quædam miasmata cibi aut condimenti non superentur; aut si ea non expellantur debito tempore ob quamcumque causam: Quæ varia acredo hæret humoribus, vel oleosis, vel mucosis, vel serosis: prout miasmata ejus præbent *latus* idoneum unioni contrahendæ cum prædictis humoribus; unde sæpè acrimoniæ mirabiles.

His acrimoniarum causis addenda sunt miasmata metastatica aut ex reliquiis morborum oriunda, quæ similiter uniri constat cum variis humoribus, pro mutuâ affinitate eorum. Neque etiam reticenda est species acrimoniæ quam ab igne electrico foveri putamus, quam suprà diximus spectabilem videri in cholerâ morbo, & quam multis in morbis maximas agere partes forsitan comprobabit nepotum nostrorum observatio.

Quibusdam placuit, post Boërrhaavium, innumeras imaginari acrimonias. Sed ab illis subtilitatibus putamus esse abstinendum, eò quòd nihil magis periculosum sit in praxi, sicut nihil magis est hypotheticum in theoriâ.

Jam pluries diximus, idque pluries repetere juvat: si vivendi ratio bona foret omninò, homines sobrii & frugales raram morbi occasionem obtinerent ab acrimoniâ, imò rarissimam. Sed heu! non ita facile est tutamen ergà inclementias cœli; earum quidem effectum licet aliquo modo mitigari, prævideri

ac præcaveri ; ſed , irritâ omnimodâ curâ , ſemper accidit ut plures homines indè lædantur. *Tempeſtatum anni mutationes potiſſimùm morbos pariunt , & in ipſis anni tempeſtatibus magnæ mutationes aut frigoris , aut caloris , aliâque pro ratione ad hunc modum.* Aph. 1 ſect. 3.

Verùm ii homines qui aſſiduo labore firmati ſunt , qui tolerandis cœli inclementiis ſunt magis aſſueti , qui vivendi rationem æqualem gerunt , longè minùs ſunt proni ad patiendas ſanguinis & humorum alterationes. Imò ſi quatuor conſtitutiones ab Hippocrate deſignatæ aliquandò evehantur ad morboſum gradum apud illos, nunquàm indè mala oriuntur æquè pertimeſcenda , ac ea quæ accidunt hominibus vitam delicatam atque opiparam degentibus.

Felices ergò mortales, qui patrios agros fideli findunt ſulco, ſoluti omni fœnore ! Ii ſanguinem laudabilem potiùs accumulant, ex quò minùs metuendum cenſetur apud illos. Fortunatos inquam , ſi ſua bona nôrint ! ii enim mente & corpore robuſtiores ſunt , difficiliùſque læduntur ab influxu meteororum propter quamdam aſſuetudinem.

Sed heu ! quàm infelices ii agricolæ, quorum labores majores ſunt quàm cibi, quorum perpetui mœrores, inſeparabilis paupertas, omnimoda indigentia ! in his enim ſanguis non ſolùm alteratur , quia fit ex materiamentis pravis ; ſed & eò quòd mœrore perpetuo condiatur, quo minuitur vis reſiſtendi cauſis morbiferis tùm inquilinis tùm peregrinis. Undè non mirum eos miſeros præſertim circumveniri à catervâ morborum, tàm chronicorum quàm acutorum.

De morbis in pulvere gymnaſii generatis ob ſanguinis craſim indè oriundam , proh dolor ! ferè non movetur quæſtio noſtris in temporibus. Sed ſi quidam adhuc morbus hujus originis

paſſim appareret, puta eum convenire cum morbis oriundis à redundantiâ ſanguinis aut bilis; ſicut ſæpiùs aliundè appareret ex tempeſtate in quâ morbi illi acciderent.

CAPUT DECIMUM.

De Fibris.

MEDICO ſigna ſanitatis & morborum in ipſiſmet fibris perquirenti, non licet opprobrare ſubtilitates inutiles, ſi ille prædicta ſigna duntaxat inſpexerit modo ſequenti : nempè 1°. ſub facie fibrarum benè conſtitutarum quas fortes appellare decet; 2°. ſub facie fibrarum laxarum ſeu debilium; 3°. ſub facie fibrarum ſicciorum ſeu rigidiorum.

Bona ſeu fortis fibrarum conſtitutio illa eſt, in quâ talis datur cohæſionis gradus inter partes earum elementares, ut cedere aliquatenùs quidem valeant vi vitæ, ſed indociles ſint ab ipsâ ſuperari. Quæ fibræ ſunt igitur aptæ aliquam pati diſtenſionem; quin tamen, ceſſante eâ diſtenſione, remaneant ſeipſis longiores aut in iis ruptura veluti immineat.

Talis eſſe ſolet conſtitutio fibrarum apud homines robuſtos ſobriè viventes, & congruenter exercitatos, præſertimque in regionibus minùs calidis. Eaque conſtitutio genuina eſt ſoboles, tutaque conſervatrix ſanitatis firmæ æquè ac optandæ.

Nihilominùs homines hâc forti fibrarum conſtitutione donati, obnoxii ſunt morbis ab exceſſu ſanguinis aut à bile oriundis. Aſt morbi illi, in hâc felici conſtitutione faciliùs curari ſolent bonâ criſi quàm in aliis; aliundèque conſtitutio illa expers eſt à morbis frigidis nuncupatis & chronicis : niſi ea priùs degeneraverit, effectu deſidiæ aut quorumdam morborum accidentalium.

Debilis conſtitutio fibrarum ſeu laxa, illa eſt in quâ fibræ non ſolùm cenſentur veluti graciliores, ſed & in quâ partes elementares fibrarum tàm levi nexu cohærent inter ſe, ut illæ motu paulò graviori ſuperentur : ita ut, ceſſante diſtractione, remaneant ſeipſis longiores, & in eis faciliùs ruptura contingat.

Fibras ſic conſtitutas ſuſpicari fas eſt apud homines ſegnem vitam ducentes ; ut & eos qui utero materno geſtati fuerunt in circumſtantiis relatis aph. 12 ſect. 3 ; ſimiliſque laxitas familiaris eſt hominibus habitantibus regiones humidas ſimul & calidas ; tùm illis qui veſcuntur alimentis aceſcentibus, oleoſiſve, abſquè quòd operoſo labore frænum opportunum illis injiciant. Quod malum ſequiori ſexui magis familiare eſſe, facilè intelligitur.

In hâc debili ſolidorum conſtitutione frequentiores contingunt morbi cachectici cæterique omnes qui creantur occaſione minoris virtutis ſolidorum in humores ; quales ſunt tumores frigidi, ut aiunt, aut per congeſtionem facti : cæterique omnes affectus quos accerſere capax eſt inſulſa humorum vapiditas.

Fortior conſtitutio fibrarum haud difficulter intelligitur, conceptâ veluti nimietate molis earum ſimul & fortiori cohæſione inter elementa. Talis autem creari ſolet ex generatione robuſtâ, ex uſu ciborum facilè & copiosè nutrientium, præcipuè ſi ii cibi uſurpentur inter labores aſſiduos & in regione ſiccâ, magis frigidâ quàm calidâ. Sed præthereà creatur, aut ea ſaltem inchoata firmatur uſu rerum acido-auſterarum, ſpirituoſarum fermentatarum, tùm à motu muſculari majore & ab aëre conſtanter frigidiori ut fit apud incolas borealium plagarum ; tùm deniquè, ubi conſtanter datur minor vaſorum plenitudo, ſicut fit apud macilentos valdè exercitatos.

Rigiditas hæc nimia fibrarum inclinare facit versùs morbos oriundos

oriundos ex humoribus nimis compactis, forsanque valentiùs animalisatis; quales sunt morbi inflammatorii, necnon biliosi.

Præter considerationes prædictas, utile quoque est fibras conspicere sub formâ organicâ, eas distinguendo in fibras cellulares, in musculosas seu *irritabiles*, & in sensûs capaces seu nerveas. Sub hoc enim triplici aspectu, Pathologus intelligit nimiam aut minorem adipis collectionem procedere ex fibrâ cellulari magis vel minùs laxâ; varios gradus roboris deberi variis gradibus irritabilitatis musculosæ; sicut nimia vel minor sensibilitas obtinetur ex nervis nimio sensu pollentibus, aut contrà: eò nempè quòd ii sint teneriores ac veluti nudiores, aut è contrà solidiores, forsanque nimioperè velati. Sed ibi cautè fidendum est opinioni cuicumque; quoniàm multa phœnomena dantur, quibus explicandis impar est humana mens suffulta experimentis in animante vivo captis. Sapienter hærendum bonis observationibus; iisque utendum tanquàm lapide quodam lydio. Hujus ope tandem comprobabitur, alio modo censendum esse de munere variarum fibrarum, prout eæ sunt in statu sano vel in morboso. Nam indubitabile mihi videtur, diversas corporis viventis partes pollere sensu & motu aliquo dùm ægrotant, quamvis illæ in sanitate appareant sensu carentes, ut & motu.



CAPUT UNDECIMUM.

De Tela cellulari.

MEDIOCRIS obeſitas, juncta cum colore cutis ſubroſeo, præſertim in vultu, naturale ſignum eſt temperamenti ſanguinei; quod formoſitate humanâ, majori ad ſcientias aptitudine ſimul & valetudine firmiori plerùmque beatur : ſcilicèt, quandò naturalium horumce bonorum pretioſa germina non ſuffocantur terribili efficaciâ mutationum cœli, tum vitiorum omnigenorum, quibus humanæ ſocietates ſcatent.

In regionibus ſaltèm temperatis hæc forſan hominum optanda temperies generaliſſima foret; nullusque homo, ut opinor, decederet ab hoc felici archetypo, niſi conſtitutio hominis ſæpiùs in ipsâmet conceptionis ejus marerie & operâ depravaretur : niſi ejuſdem evolutio mille modis adhuc perturbari poſſet antequàm naſceretur : niſi innumeris degenerationum occaſionibus miſerè occurret poſtquàm natus eſt. Non aliis enim de cauſis accidit, ut tanta obſervetur diverſitas inter variorum hominum formas, qualitates, characteres.

Nequaquam verò hìc aggrediemur hanc generalem Pathologiam ſemeïoticam. Sed putabimus illam ſufficienter impræſentarium attigiſſe, ſi expoſuerimus notabiliora magiſque eſſentialia mala & ſigna quæ ex telâ cellulari pendent & mutuantur; non ſolùm quatenùs pars illa corporis ſpectatur tanquàm aliquod humanæ compagis eſſentiale organum : ſed & quatenùs illa eſt generaliſſimum integri corporis viventis materiamentum, quod eaſdem non tantùm partes agit reſpectu cæterorum ejuſdem corporis organorum, ac aqua *cryſtalliſationis* reſpectu variarum *cryſtal-*

lisationum salinarum; sed & quod plurimarum partium humani corporis genuina & unica materies apparet.

Ut incipiamus à generaliori notitiâ morbosâ quæ ex telâ cellulari obtinetur, hìc celebrabimus diversas corporis habitûs modificationes quas præsertim producere capax est, sed quas nullibi expressiores præbet quàm in vultu humano. Nonne, irritâ incredibili diversitate quæ sedet inter diversas hominum gentes, observatur suam esse ipsimet Æthyopi ut & Europæo faciei habitudinem, quæ certò significat sanitatem præsentem aut turbatam? congruenter scilicèt coloratam & gratam aspectui, in valetudine bonâ: vario è contrà infuscatam colore, necnon afflictam dolore aut tristitiâ dùm morbus quidam adest.

Tantam vultûs virtutem ad patefaciendum statum hominis physicum simul & moralem, nemo Physiologus stupebit nec Pathologus, attendendo ad mirabilem consensum quo textus cellularis vultûs fruitur cum tribus magnis cellulosæ telæ provinciis, in quibus habitant viscera functionibus cunctis famulantia, & pro variis vitæ suæ circumstantiis sensificata: consensum nempè textûs cellularis faciei cum textu cellulari capitis & colli, pectoris & brachiorum, abdominisque simul & inferiorum artuum, beneficio mutuæ communicationis omnium cellularum istius textûs patratum. Qui generalissimus consensus mechanicus faciei humanæ per cellulas adiposas, alio adhuc consensu nerveo adjuvatur; in quantum videlicèt cellulosa tela in morbo fit patibilis, necnon & forsan paululùm *irritabilis* seu alicujus motûs capax: & in quantùm phyosignomia millies in horâ mutari valet actione mechanicâ musculorum suorum, quorum nervi consentiunt cum maximis nervorum visceralium regiminibus: adeò ut vultus necessariò commoveatur doloribus viscerum, perindè ac variis pathematibus animi.

Ideò, quæcumque cachexia, ut & quælibet morbosa viscerum affectio vel simpliciter nervosa, necnon febris ipsamet, expressissimâ descriptione pingitur in vultu: qui, ut sanitatis & animi, ita & morbi speculum est fidelissimum. Exemplo sit facies Hippocratica dicta.

Quinimò, si pulmo dexter ex. gr. suppuratus sit, vultus in eo latere magis tumet quàm à latere sinistro: itemque, si cavitas dextra thoracis aquâ vel pure repleta foret, pars dextra vultûs magis perindè tumida deprehenderetur: dùm pars sinistra illæsa maneret, aut non afficeretur, nisi longo temporis lapsu. Neque illa mutuæ sympathiæ laterum corporis distinctio stupenda est. Nam videretur humanum corpus primordialiter conflatum esse ex duâbus cellulosis medietatibus longitudinalibus, unitis secundùm longitudinem suam; quæ ambæ medietates non ita facilè sese mutuò afficiunt, eò quòd in puncto unionis detur strictura capax non parùm resistere variis humorum transmigrationibus, ab uno corporis hemispherio in alterum.

Nonne enim cernere licet humano in corpore aliquam veluti suturam verticalem, seu potiùs stricturam vel conjunctionem (evidentissimam, si attendatur), quâ mediante corpus vivens in duas portiones verticaliter parallelas funditùs dividitur? quæ sutura seu *raphe*, in perinæo incipiens, indè antrorsùm vergit ascendendo usquè ad verticem: undè deorsùm ducitur secundùm spinas vertebrarum, ad perinæum usquè.

Hìnc ni fallor elucescit ratio cur tumor (etiam œdematosus) unius lateris, tàm difficulter transeat ad latus oppositum: cur ipsamet signa ex pulsibus obtinenda, pariter sequantur sortem earum duarum medietatum corporis, observante de Bordeu: cur paralysis ut & atrophia, in unâ corporis medietate contingat, alterâ omninò illæsâ remanente.

Dicendi non foret finis, si singula textûs cellulosi munera recensere aggrederemur. Hìc sufficiat adhùc annotare cumulatim, organum illud generalem esse sedem *emphysematis*, *ecchymosis*, inflammationis, resolutionis, suppurationis, *metaptosis*, *gangrænæ*, *sphaceli*, indurationisque: tùm etiam ipsiusmet *leucophlegmaciæ* & *anasarcæ*: consequenter organum illud, omnigenis humani corporis partibus commune, spectandum esse veluti genuinam officinam, in quâ evolvuntur animalis œconomiæ phœnomena prædicta omnia, omissis incognitis.

Sed quia brevis hæc notitia de telâ cellulari, non valeret amplexari numerosam ejus suppellectilem pathologicam ac semeïoticam (quæ per partes alibi exponetur congruentiùs), sat erit ibi illam designasse pro generalissimâ & tristissimâ viâ *metaptosium*. Viam hanc loquimur, cujus ope morbifera quævis materies tàm citò quandòque serpit & exportatur ab unâ parte corporis ad partem alteram, liberatâ parte priùs affectâ; absquè quòd *circulatio* quicquam inserviat ad hanc viventis naturæ revolutionem mirabilem, quidquid in contrarium dixerint inattenti mechanicorum Medicorum sectatores. Quomodò aliter conciperentur tàm frequentes quæ in praxi observantur morborum transmigrationes, ac proindè quânam arte tot malis adeò formidolosis occurreretur? Quomodò etiam intelligerentur & utilia forent innumeræ Hippocratis annotationes judiciosaque præcepta de *metaptosibus*? quæ ab incautis olim rejiciebantur tanquàm fatua & inconsiderata; quæ verò luminosis Neotericorum observationibus nunc verissima agnoscuntur, & ægrotos vi naturæ certò sanandos conantur liberare ab omnibus officiosorum medicastrorum tentaminibus, periculosis æquè ac tenebrosis.

Inter multa Medici illius oracula circà *metaptoses*, sat erit sequentia exemplo attulisse, quorum quidem plurimorum mentio

jam alibi facta fuit, sed quæ non piget repetere; quia sunt certa & utilia, æquè ac frequentia.

Anginâ detento, si tumor in collo extrorsùm oriatur, bonum. Aph. 37 sect. 6. Quod etiam repetitum legitur sect. 7 n°. 48, fortè per errorem Librariorum.

Quibus anginâ liberatis, ad pulmones malum vertitur, ii intrà dies septem intereunt: si tamen hos dies evaserint, suppurati fiunt. Aph. 10 sect. 5.

Tussiculæ, quæ cùm crebris oris sputationibus procedunt, tubercula ad aures emolliunt. Coacâ 204.

Quibus observationibus veracissimis, innumeras similis momenti sententias liceret addere, ex eodem fonte depromptas: non solùm respectu anginæ & parotidum, verùm etiam respectu hypocondriorum, &c. Quæ omnia medicatricis naturæ miracula, agnoscenda sunt tanquàm naturalia textûs cellulosi beneficia.

Quomodò enim aliter concipere daretur aphorismus 53 sect. 7, quàmvis verissimus qui sic se habet? *Quibus inter septum transversum & ventrem pituita concluditur, & dolorem exhibet, neque in alterutram cavitatem viam habet, iis per venas in vesicam pituitâ versâ fit solutio.*

Talis est etiam aphorismus 8 sect. 6: *Hydropicis quæ in corpore fiunt ulcera, non facilè sanantur.* Necnon 14 ejusdem sectionis, nempè: *Hydrope detento, si aqua per venas in ventrem confluxerit, morbus solvitur.*

Tùm aph. 10 sect. 6: *Capite dolenti, ac vehementer laboranti, pus, aut aqua, aut sanguis, per nares, vel os, vel aures effluens, morbum tollit.*

Tùm aph. 18, sect. 4: *Dolores suprà septum transversum* (qui purgatione indigent) *purgationem sursùm: qui verò infrà, deorsùm*

requirunt. In quo ultimo aphorismo Hippocrates observatione clarâ ductus, luculenter (1) agnovit hanc alteram & valdè insignem corporis viventis divisionem transversalem in duas portiones, nunc ab omnibus Medicis attentis cognitas ; quarum

(1) Quamvis Hippocrates expresse locutus non fuerit de celluloso textu, attamen apparet eum ipsi cognitum fuisse & de eo saltem cogitasse, dùm notabat varias metastases morborum de quibus agitur in aphorismis suprà relatis. Quinimò, mihi videtur sæculum hoc nostrum non posse omninò sibi gloriari de detectione textûs cellularis, sed tantùm de illius evidentiori descriptione apud Medicum de Bordeu. Hippocrates enim, lib. de arte, pag. 6 Foës., lin. 47 & seq., sic apertè loquitur de telâ cellulari : » Quæcumque, inquit, membra » carnem in orbem circumdatam habent, quam musculum nominant, » ea omnia civitatem habent. Quidquid enim minimè coaluit, sive pel- » liculâ, sive carne tegatur, cavum est, quod dùm homo valet, » spiritu quidem, dùm verò ægrotat, sanie plenum est. Habent ita- » que brachia hujusmodi carnem, habent & femora, habent & tibiæ. » Quin & in partibus, carnis expertibus, hujusmodi caro inest, qua- » lem in benè carnosis inesse diximus. Nam & thorax dictus sub quo » jecur concluditur, & capitis orbis, in quo cerebrum compre- » henditur, ipsumque dorsum, cui annexi sunt pulmones, hæc omnia » prorsùs sunt vacua, multis intervallis referta, quæ ferè vasorum » naturam obtinent, cùm res eas continent, quæ partim quidem » eum qui eas possidet juvant, partim etiam lædunt. Ad hæc etiam « venæ sunt multæ, & nervi....... quorum nihil est quod non aliquan- » tulùm spumosum sit, & circà se latibula habeat, quæ sanies ipsa » arguit, quæ iis apertis copiosa, & multis molesta effluit. Neque » enim sanè eorum, quæ dicta sunt, quicquam oculis intuenti cons- » picere licet. » Ita ille. Porrò, quis ibi non agnoverit egregiam subtilissimamque descriptionem textûs cellulosi ?

nempè una (eaque textui cellulofo *menyngum* & *pleurarum* propria) fedet fuprà diaphragma ; altera (ad *peritonæum* pertinens) occupat inferiora omnia vifcera & membra.

Nùm deniquè, abfquè cellulofi textûs beneficio naturali cognito nec turbato, obtinerentur illa bona quæ memorantur aph. 74 fect. 4, his verbis? *Quibus fpes eft ad articulos abfceffurum, ab abfceffu liberat urina copiofa, valdè craffa, & alba reddita, qualis in febribus cum laffitudinis fenfu quarto die quibufdam fieri incipit. Quòd fi ex naribus etiam fanguis fluxerit, tùm brevì admodùm liberatur æger.* Ea enim omnia folo minifterio vaforum fanguinem circumducentium fieri nequeunt, ficut fatentur omnes Medici ab hypothefibus fcholafticis liberi, folâque naturâ duce operantes & ratiocinantes.

Dantur fiquidem infignes communicationes inter vifcera per textum cellularem propriæ eorum regionis, imò & regionis alienæ, quæ attentum Medicum non fugiunt & à quibus ipfe aliquandò auxilium valdè proficuum mutuatur. Undè jam non latet ampliùs quarè *veficantia* & *epifpaptica* congruo in loco appofita, valeant præfervare à *metaftafibus* aut illas turpiter advocare? quarè vacuationes per alvum femper noceant, quoties pertimefcenda eft *metaftafis*? nifi fortè fufficientem ex loco opportuno materiem metaftafi jam valdè proximam tollere poffint, ficut quandòque fit incipientibus metaftafibus puris vulnerum, præfertim in artubus inferioribus? quarè fimiles evacuationes alvinæ femper noceant criticis fputorum thoracicorum aut excretionum gutturalium ejectionibus? quarè humores catharrales, ex naribus, auribus & ipfomet cerebro poffint adire fauces, nec proindè catharticis ullis vel alio revellente medio deviari indè debeant? quarè pulmonum infarctus qui oritur à faburrâ primarum viarum, tollatur adhibito emetico? quarè

veficantia

veſicantia & cauteria, ponè aures, vel ad nucham aut brachia juvent in ſanando infarctu celluloſo cerebri & pulmonum? Quæ omnia ſufficiunt, ni fallor, ut comprobetur quantùm boni *pathologia* necnon *ſemeiotica* mutuari poſſint, ex obſervatis & cognitis celluloſæ telæ muneribus in œconomiâ animali.

CAPUT DUODECIMUM.

De Adipe.

UBI corpus ſanum utitur alimento ſatis largo & congruo, illudque nimioperè non fatigatur & aliundè fruitur celluloſâ telâ congruenter ſtrictâ, ſolet certa colligi copia adipis in textu cellulari. Quâ moderatâ carnium impinguatione fit gratior corporis forma, minorque datur diſpoſitio ad patiendum occaſione frigoris externi.

Hanc felicem exiſtendi normam obſervare eſt in temperamentis ſanguineis potiùs quàm in bilioſis. Nec rarum, imò ferè ordinarium eſt, aliquam huic humani corporis conſtitutioni contingere in ætate maturâ obeſitatem quæ plerùmque abſquè morbo ſenſim evaneſcit in ſenio, non ſine aliquâ ſpe futuri ævi longioris.

In conſtitutionibus verò debilibus & laxis, torpente præſertim corpore, ſimul & inter epulas, ſæpiſſimè adeps benè multa maturior accumulatur, ideòque major vel minor naſcitur obeſitas, ab ipsâ juvenili ætate quandòque incipiens. Quâ obeſitate ſemel natâ, non ſolùm agilitas ſimul & ſenſilitas corporis minuitur; verùm etiam indè mors ſæpiùs improvisa accerſitur, aut ſaltem maturior. *Naturâ admodùm craſſi celeriùs intereunt quàm graciles*, aph. 44 ſect. 2.

Præterea notatur aph. 45 ſect. 5, obeſitatem mulierum infenſam eſſe generationi. *Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt*,

iis omentum os uteri comprimit, neque priusquàm extenuentur, prægnantes efficiuntur. Neque etiam discrepant facta cum dictis ejusdem scriptoris, respectu puerorum obesorum quibus, maximè dùm caninos dentes emittunt, solemne est accidere gingivarum stimulantes prurigines, febres, convulsiones & alvi profluvia, ex aph. 25 sect. 3.

Macies è contrà valdè spectabilis & constans contingit hominibus malè nutritis aut præter modum fatigatis; eaque sæpiùs temperamenta aggreditur biliosa tùm atrabiliosa, irritis mensis opiparis, si nempè ipsis sit strictior cellulosæ fibræ compages. Sed intereà, macies non rarò quoque adducitur reluctante ipsâmet constitutione individuorum, quoties latet in sanguine miasma quoddam peregrinum, irritare capax; tùm quoties ciborum coctio vel & secretio chyli constantem aliquam experitur læsionem, quâcumque de causâ generatam. Hoc observare est ubi adsunt graves viscerum obstructiones, aut chronicus quidam alvi fluxus, aut febris marasmodea qualiscumque.

Quoad prognosim maciei, eruitur ex ejus origine. Macies illa fugari potest haud difficulter, quæ procedit à defectu cibi sufficientis, aut ab ejus qualitate pravâ. Sed vix mitigari docilis, si fuerit effectus temperamenti. De cæterò, æstimanda sunt maciei pericula secundùm causas ejus; facilèque apparet macilentiam eò periculosiorem esse, quò celeriùs accersita est, quò magis essentiale est viscus ex cujus læsione pendet, quò majorem suspicari licet acrimoniam, quò provectior ætas.

Sedulò etiam attendere oportet ad certam quamdam viscerum abdominalium crassitudinem quàm adeò utilem esse in ægrotantibus notatur aph. 35 sect. 2, his verbis: *in omnibus morbis, partes quæ sunt ad umbilicum & imum ventrem crassitudinem habere præstat; valdè autem tenues & tabefactas, pravum. Sed hæc quoque ad inferiores par-*

gationes periculosum. Quandò enim eæ partes molliter crassæ sunt, ac veluti munitæ tomento quodam levi, benignam viscerum indicant humiditatem, quâ mediante facilior fit coctio humorum morbificorum, faciliùsque toleratur actio catharticorum pharmacorum, si iis opus sit. Dùm è contrà tenuitas viscerum ostendit humores acriores esse, minùs dilutos, ideòque minùs pronos ad congruam emendationem simul & ad felicem evacuationem; prætereàque sæpiùs illa declarat latentes viscerum spasmos; tùm nimiam imprimis extenuationem corporis, quam atro carbone notavit Cous Scriptor, aph. 28 sect. ejusdem.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

De membranis.

SEPTEM sunt cognitæ præcipuæ membranæ : scilicèt utraque Menynx, Pleura duplex, Peritonæum, Cellularis Textus ipsemet, & deniquè Cutis externa. Quibus octava alia addi liceret, nempè Epidermis.

Earum membranarum singulæ maximas agunt partes in sanitate ut & in morbis. Quod munus obtinetur multiplex, quatenùs illæ partes diversis phœnomenis præbendis inserviunt mediante variâ consistentiâ suâ, varioque sensu, vel relativo vel absoluto; quibus phœnomenis indicatur integritas vitæ, ut & multifaria ejus perturbatio ac multifarium discrimen.

Autopsia itaquè anatomica non docet apertè cur ab unâ membranâ peculiariter affectâ producantur perturbationes insignes aliis in membranis, necnon & in cætero toto corpore. Quinimò, appareret ex experimentis Halleri aliorumque Clarorum Virorum membranas esse insensibiles, exceptâ cute

ejuſque propagationibus, eaſque ſympathicis motionibus excitandis ac recipiendis proindè impares exiſtere. Sed ibi cavendum ab errore. Quamvis non manifeſtentur nervi per ſubſtantiam propriam membranarum evidenter demonſtrati; quamvis peculiares irritationes artificiales ipſis videantur indifferentes in animante ſano experimentis capiendis ſubjecto; non indè licet reſolvere, nec affirmare membranas nervis omninò carere propriis, eaſque in omnibus circumſtantiis eſſe ſenſu penitùs deſtitutas. Earum ſaltem inflammatione, contraria elicitur aſſertio apud Medicos clinicos, qui naturam ſæpiùs inexplicabilem modeſtè venerantur & agnoſcunt in ejus operibus.

Poſſunt equidem nervi ſic exiſtere in membranis, ut illos inſequi non valeant oculi, etiam optimè armati. Nec aliâ ratione fit ut ipſiſſimi cutis nervi, quantùmvis viſibilis ſit deſtinatio eorum, non permittant ſeſe perluſtrari uſquè ad ipſas papillas cutis, in quibus tamen proprietas eorum luculentiſſimè demonſtratur. Quis tamen ideò dixerit eas papillas carere nervis?

Conſequenter credere fas eſt, ut opinor, membranas, exceptâ epidermide, inſtructas omnes eſſe aliquibus nervis propriis, clanculario modo ordinatis & officio cuidam ſingulari deſtinatis à naturâ. Eaſdem ideò membranas ſenſu ſaltem pollere quodam relativo, ſeu aliquibus dumtaxat aculeis proportionato: quem proindè ſenſum non exercent, niſi quandò nervi earum peculiariter ſe habent & fiunt apti peculiaribus experiendis ſtimulis; quem videlicèt ſenſum duntaxat exercent in raris quibuſdam circumſtantiis, reſpectu quorumdam ſtimulorum peculiarium: quamvis eæ non fruantur ſenſu æquè generali & æquè evidenti ac ſenſus cutis. Alioquì, oculus ipſe nervis expers dicendus foret, eò quòd ignoret contactum rumoris.

Nervi in membranis clanculùm exiſtentes, & incognito diſtri-

buti artificio, ita ibidem forſitan premuntur atque inordinantur, ut nequeant ſenſationem præbere ullam niſi quandò mutatur ſtatus eorumdem, occaſione ſcilicèt inflammationis localis: aut propter ſingularem quampiam ſtimulationem, etiam ſympathicam, quamvis hæc fieret in parte quæ evidenti ſenſu privaretur, quales ſunt tendines, quibus ſenſum plures Scriptores non concedunt ullum.

Plurimæ obſervationes, tàm medicæ quàm chirurgicæ, demonſtrant quantùm peculiaris aliqua diſpoſitio alicujus membranæ ſicut & alicujus tendinis valeat cæteras partes muſculares aut membranaceas afficere, & quantùm affectio cujuſdam partis poſſit viciſſim mutari, mediante aliquâ mutatione in ipſis ſanis partibus inductâ. Ut incipiamus ab ipsâ cute ſimul & ab ejuſdem propaginibus, deindè tranſituri ad partes paſſim pro inſenſibilibus habitas; nonne ab immerſione corporis in tepidâ vel in oleo, ſedantur dolores interni, dummodò inflammatorii non ſint? Nonne poſt dolores colicos vel iliacos, præſertimque poſt colicam metallicam dictam, ſequitur brachiorum crurumve paralyſis, ac tandem eorumdem artuum marcor? Nonne pariter contingunt convulſiones lethales ab actione nimiâ pharmacorum purgantium, ſtupendaque lethaliſſimorum malorum cohors à cholerâ morbo? Nonne etiam à vulnerato meſenterio, quandòque mors poſt enormes dolores, quamvis illud tanquam inſenſibile ſpectetur à quibuſdam? Nonne horribiles convulſiones ſuccedunt menyngibus vulneratis inflammatiſve, ſicut & ipſimet pericranio ſimiliter affecto? Nonne demùm frequentes oriuntur convulſiones, imò & tetani, vulneratis inflammatiſve tendinibus, aponeuroſibus, aut membranis? Quæ omnia ſanè phœnomena nequaquàm apparerent, niſi mediante partium illarum mutuâ ſenſificatione relativâ

ſtabiliretur mutuus quidam conſenſus mutuumque *regimen*, quorum auxilio pars una condoleret alteri, imò & ipſi pro marte ſuo opitularetur. Semper veneratus ſum intentionem Halleri, Clarorumque Virorum qui ad illius imitationem ſcrutati ſunt veſtigia ſensûs & motûs in variis partibus animantis vivi. Sed non vidi ſine admiratione multâ, innumeros deindè ſcriptores Hallerianis experimentis & ſimilibus ſeriò uſos fuiſſe, ut majorem corporis noſtri partem ſenſu & motu prorsùs expertem facerent & proclamarent. Quaſi verò, in caſu puncti tendinis aut cujuſdam vulneratæ vel inflammatæ membranæ, acriores ægrotantium dolores pejoraque ipſis ſupervenientia ſymptomata non probarent illas partes pollere ſenſu exquiſitiſſimo dùm ægrotant, quamvis eæ ſint inſenſibiles in ſtatu ſano. Nonne dolores à partibus illis punctis, vulneratis aut inflammatis oriundi, ſunt etiam experimenta ſui generis, quæ tribuunt teſtimonium ſenſibilitatis tendinum & membranarum ægrotantium, perindè ac experimenta Halleriana demonſtrant eorum inſenſibilitatem dùm benè valent?

Prædictas aſſertiones meditanti ſi quid dubium videretur, attendat illas firmari luminoſis obſervationibus prognoſticis Hippocratis, quarum plurimas hìc referre juvat. Iis profectò fides debetur eò major, quò magis vacuus fuit ab hypotheſibus ille Vir magiſque accuratus in obſervatione faciendâ, & quò major fuit amicus amœnæ veritatis.

Sic itaque legitur aph. 1 ſect. 5, *convulſio ex veratro lethalis eſt.* Deindè aph. 4, *immoderatæ purgationi convulſio aut ſingultus, malum.* Tùm aph. 17 ſect. 5, *frigidum verò convulſiones, nervorum diſtenſiones, livores & rigores febriles infert.* Aph. 20 ſect. ejuſdem, *frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem inſuperabilem facit, denigrat, rigores febriles, convulſiones & tetanos invehit.*

Deniquè aph. 52 sect. 6, *spectare verò oportet quæ etiam ex oculis per somnum subapparent ; etenim si quid ex albo , non exactè commissis palpebris , subappareat , neque id ex alvi profluvio aut potione purgante contingat , pravum signum est , & lethale admodùm.* In quo ultimo aphorismo , dùm observat Auctor nasci convulsiones occasione irritationis illatæ tubo intestinali (qui suâpte naturâ pollet sensu admodùm exquisito) , non minùs luculenter agnoscit convulsiones oriundas ex irritatis vulneratisque partibus quæ clandestino sensu gaudent : dùm generaliter monet aph. 2 sect. 5 , convulsionem , *si superveniat vulneri* , lethalem esse. Nonne enim sæpè videre est, tetanos lethalissimos supervenire vulneratis contusisque partibus tendinosis & aponeuroticis manuum pedumve? Sicut comprobari liceret plurimis aliis tàm priscorum quàm neotericorum observationibus. At verò prædicta sufficiant ; obstinatis non loquimur.

Antequàm deseramus gravem quæstionem de membranis pathologicè consideratis , non abs re erit hìc obiter eripere crassum hunc errorem qui perperàm tribuitur Hippocrati , dùm prognosim peculiarem instituebat de quibusdam membranis & partibus mutilatis : nempè , aph. 19 sect. 6 legitur vulgatis in editionibus : *os cùm persectum fuerit , aut cartilago aut nervus , aut genæ tenuis particula , aut præputium , neque augetur neque coalescit.* Quâ assertione nihil profectò absurdius , nihilque periti Medici indignius.

Verùm hic error non est Hippocratis. Pendet ex pravâ textûs græci versione , quam varii Editores oscitanter imitati sunt. Aphorismo itaque prædicto sicut & coacâ 503 & 504 ubi similia referuntur , vox græca *diacopè* accipitur pro voce *tò dissectum* , quamvis obvio sensu significet *SEPARATUM* , *AMPUTATUM* ; & similiter coacâ 505 , *tò aprocoptò* vertitur in verbum

tò disseco, quamvis etiam exprimat *ABSCINDERE*, *AUFERRE*. Prætereà eodem aphorismo, ut & coacâ 505, verbum *tò auxanò* ridiculè accipitur pro verbo *tò AUGEO*, quamvis, ut sui juris est, ibi significet *tò RENASCOR*, *REPRODUCOR*, *REGENEROR*. Porrò eæ inversiones præbent sensum omninò alienum à sensu Hippocratis, quoniàm locis citatis apertè scripserit: *os cùm AMPUTATUM fuerit, aut cartilago, aut nervus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque REGENERATUR, neque coalescit.* Id est, quod fuit ablatum minimè *reproducitur*, sicuti reproducuntur abscissi unges nostri, aut sicut *regeneratur* pes cancro ablatus: neque illud, per modum *traducis*, ferruminatur cum parte à quâ fuit separatum. Quid porrò Chirurgia valeret modernorum arguere adversùs prædictam assertionem, nisi fortè objiciendo experimenta *Chirurgiæ curtorum per insitionem* Andreæ Taliacotii? Sed in quibus *tradux* agglutinandus restituendæ parti, non separatur *à matre*: quæ maxima differentia est. Proindè, simili factâ correctione in aph. 24 sect. 6 ac in aph. 19, ibi legi debet: *ex tenuioribus intestinis, si quod amputatum fuerit, non FERRUMINATUR*, sicut reipsà verum est. Hinc enim nata fuit ingeniosa praxis anum artificialem instituendi, quæ pro votis sæpenumerò cessit. Sed miror prædictos versionis errores fuisse prætervisos à peritissimo Domino D. Bosquillon; quippequi, latinè reddendo aphorismum 27 sect. 7, (qui est mera repetitio aph. 19 sect. 6) correxerit partem erroris, quodam nihilominùs pleonasmo ibidem relicto.



CAPUT

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

De Vasis.

MAximum operæprecium mihi habetur hìc omittere ſcholaſticas ſubtilitates de indefinitâ vaſorum diviſione, de *errore loci*, tùm de vaſis ſpectatis tanquàm forent integrantes membranarum partes, haud secùs ac fila cannabina reſpectu telæ vulgaris. Eæ enim hypotheſes, quas Pſeudo-mechanici poſt Fizium ac Boërrhaavium ornârunt, nonniſi fictitias valent ideas pathologico-ſemeïoticas præſtare: ideòque ab illis cavendum.

Hìc tantummodò ſpectamus vaſa viventis corporis tanquàm quoſdam canales hydraulicos, per medias quaſlibet carnes perforatos vi humorum à corde projectorum; qui canales vix viginti diviſiones admittunt in arteriis antequàm deſinant in venas; qui omnes ſimul accepti inſerviunt ad illum ſanguinis abſolvendum motum perennem, nomine *circulationis* dictum, à quo vita phyſica hominis dependet. Conſequenter, non alio ſub conſpectu pathologico & ſemeïotico conſiderabimus vaſa, niſi quatenùs tollatur aliquandò tranſitus liquidorum per illa, ideòque naſcatur hoc malum quod obſtructio vocatur, vulgato apud Medicos nomine.

Obſtructio itaque nihil aliud eſt quàm obturatio canalis alicujus, ejuſque ſequentes cauſæ agnoſcuntur. 1°. Lateralis ejus preſſio; 2°. exceſſus molis tranſituræ, aut anguſtia vaſis tranſmiſſuri; 3°. concretio materiei in vaſe aliquo; 4°. deniquè, concurſus plurium cauſarum ex dictis. Undè id omne ſpectandum venit pro causâ obſtructionis, quod capax eſt comprimere vaſa aut illa coarctare: vel & inſpiſſare humores, illoſve alicubi admiſſos indurare.

Sed facilè meditanti concipere eſt obſtructionem duntaxat contingere minoribus in canalibus divergentes ramos emittentibus, ſicut & in minimis caveis cellulosis membranæ adipoſæ; nequaquàm verò id accidere in maximis vaſorum truncis, venoſiſque præſertim, ſicut nec in aliis maximis ductibus, ſi excipiantur caſus quidam accidentales iique rariſſimi : ex. gr. polypi cardiaci detruſio in præcordiales arterias; anguſtatio majoris alicujus vaſis aut œſophagi ipſiuſmet à quodam tumore innato aut à corpore quocumque extùs comprimente; retentio intruſorum calculorum in uretheribus aut in urethrâ ipsâ; obturatio ductûs ipſiuſmet inteſtinalis, ſicut aliquandò accidit propter tumorem calloſum, ſteatomatoſumve intùs natum aut vicinum; vel propter duras feces, glomereſque vermium, necnon fructuum pelles nucleoſve; tùm propter alia corpora quædam dura, deglutita per accidens aut ex conſilio appetentiæ morboſæ : quibus caſibus raris addendæ ſunt illæ obſtructiones quas miſeri quidam creant, præ ſtultitiâ aut aſtutiâ, immiſſis videlicèt corporibus peregrinis in aliquem canalem (1).

---

(1) Exempla prædictarum obſtructionum canalis inteſtinalis, creatarum ab aggeſtis fecibus vermibuſque, aut à retentis pellibus nucleiſve fructuum, minimè rara ſunt, ſicut videre eſt apud Obſervatores. Nec deſunt hiſtoriæ nebulonum quorumdam, qui ſibi ipſis peregrina corpora varios in canales maligniter immiſerunt; tùm eorum qui res omninò inſolitas deglutierunt, aut præ aſtutiâ, ſicut dictum eſt, pag. 77, id aliquandò arridere puellis *picâ* aut *malaciâ* laborantibus. Inter obſervationes hujus generis nobis cognitas, non abs re viſum eſt aliquot enarrare, ad hoc ut tyrones hinc cautè advertant nihil quandòque veritati ſimilius videri quàm mendacium, & quòd nunquàm perfectè veritatem caſus imitetur. Adeòque hæc erit utilis recenſio ut

Quâcumque verò obſtructione ſemel natâ, indè tranſitus fluxuræ materiei tollitur partim vel totaliter, hâcque ratione fit neceſſum ut varia mala oriantur : nempè pro vario munere organi impediti, ſicut & pro variâ naturâ & degeneratione

---

Cives noſtri imprimìs intelligant quantùm ii decipiantur qui bonâ fide negant, quòd magnetiſatæ dictæ ſomnambulones valeant deglutire mollia corpora paulisper longa, non ſuperantia diametrum pollicis unius, ad hoc ut, opportunè concitato vomitu portentoſo, eventus videatur reſpondere magneticis divinationibus ; quæ ideò prædictiones veluti divinipotentes habeantur, dùm nihil ſunt niſi periculoſæ allucinationes *. Sic veritatem omni decore nudam exponere noſtra religio eſt ; illam enim aſſentantibus inſtruere margaritis, aut blandienti imbuere fuco : non ornari, ſed deturpari videretur. Primò itaquè referemus doloſas temerariaſve peregrinorum corporum intromiſſiones in canalem quemdam ; deindèque ſtupendarum rerum deglutitiones.

Nempè, anno 1746, juvenis quidam Vinitor Biſuntinus, captandæ miſericordiæ gratiâ ut effugeret ſortem Militis Provincialis, duos cerasi nucleos in urethram ſibimet immiſerat : ſed iis arte peritâ eductis, me præſente, cognitâque nebulonis illius malitiâ, hic calculoſus factitius declaratus eſt deſertor & carcere damnatus.

Ab annis circiter triginta, quædam puella in Noſocomio hujus Urbis viſa fuit, quæ ſibi ipſi pluries urinarium in meatum intruſerat fragmenta lapidea ut fingeret calculoſum morbum, ideòque quieſceret diutiùs inter blanditias hujus hoſpitii. Brevì autem reſeratâ femellæ

* Videatur caput de *Inhalatione*, ubi de ridiculis magnetiſmi animalis dicti dogmatibus ; tùm cap. de *Functionibus animalibus*, ubi de ſomnambuliſmo. Ibi habentur quæ jam priùs in unâ & alterâ theſi pariter propoſueramus pro datâ occaſione, à primâ aurorâ eorum miraculorum.

materiei impedientis ; quæ omnia latum ſanè meditationis campum exhibent, tùm reſpectu effectuum ab obſtructionibus oriundorum, cùm reſpectu cauſarum remotarum. Sed in iis exponendis rebus non immorabimur, nè ſcilicèt ibi agatur

---

hujus turpitudine, ea ſolemniter crimine ſuo convicta fuit & expulſa ; parùmque abſuit quin ſecuritatis humanæ cuſtodibus traderetur.

Anno 1765, circumcircà, ſexagenarius quidam, tunc forſan inſaniens vel ad minimum ebrius, ſub intentione tollendi obicem alvi adſtrictæ, ſibi ipſi in anum detruſerat vetuſtum vitis ſtatumen, ad longitudinem pedis unius. Quo baculo ſtultis conaminibus effracto, nata fuerat ſingularis admodùm obſtructio podicis. Tandem verò, (præ doloribus atrocibus, & duriori ſanè obſtipatione) demens ille factus propemodùm exanimis, ſuam revelavit veſaniam, rogando ſupplex ut quantociùs liberaretur. Quod factum eſt ex induſtriâ peritioris Chirurgi hujus Urbis, non ſine labore maximo. Sed hoc mirum eſt, quòd hic fatuus paulò poſt ſimile malum ſibi dederit, dolentiſſimo eodem artificio eliminandum.

Non à longo tempore fermè incarcerata fuit ſupremi Judicis decreto, quædam puella quæ, poſt alias benè plures fallacias, ſib vaginam coctis rapis impleverat, poſteà graviter gemendo de lugendiſſimâ ſuâ invaletudine, & humillimè chirurgicam invocando manum, quâ feliciter evelleretur terribilis ille obex, urinis fluxuris, ut aiebat, oppoſitus.

Nota eſt Pariſiis hiſtoria meretriculæ cujuſdam, quæ duas juniores columbas in vaginam ſuam immiſerat, ſic monſtroſum ſimulatura partum, ad hoc ut Chirurgum ſuum mitteret in fabulas.

Quoad monſtroſas deglutitiones, ea ſtatim exemplo erit obſervatio quæ ſpectat vetuſtam quamdam ancillam D. Rouſſel de Breville, Forenſis olim Procuratoris apud Biſuntinenſes ; quæ ancilla, fatuo

quod alibi vel actum est vel agendum, ubi videlicèt quæstio movetur de quolibet morbo ab obstructione oriundo. Sat erit impræsentiarum superiùs tradidisse simplicem obstructionis ideam. Quoad cætera, varias omninò hypotheses floccifacimus, quas

---

quodam instinctu, deglutiverat clavem ferream armarii sui, sex pollices longam, & ideò extincta est. Aliquot enim diebus ab hâc deglutitione elapsis, clavis hæc traducta fuit ad inguinalem herniam, & ibi infixa; hìncque advenerunt pejora strangulatæ herniæ symptomata, quin licuerit auxiliis uti chirurgicis, ob nimiam miseræ ægrotantis debilitatem. Aperto cadavere ejus, clavem hanc ex loco prædicto educi vidimus.

Non à multis annis clarissimus Medicus Durande, amicus noster, apud Divionenses reperiit in stomacho defunctæ cujusdam stultæ mulieris capulum unius cultelli, cochlear unum stamneum, unumque clavum ferreum magnæ molis, aliaque benè plura corpora peregrina.

Mirabilior adhuc nec minùs certa habetur historia cujusdam Remigis Brivatensis, nomine Andreæ Bazyle, qui obiit die 10 octobris 1774 in Nosocomio Brivatensi. Miser ille Remex tædio ac mœrore confectus, imprimìsque debitâ perterritus pœnâ, capto forsan secùm consilio sibi mortem consciscendi, stomachum suum adimpleverat deglutitis plurimis omnigenis corporibus peregrinis, quæ in ejus cadavere reperta sunt colore atramentario imbuta, fœtentiaque admodùm. Videatur *Journal de médecine*, *décembre 1774*, ubi referuntur visa quinquaginta hominum, qui præprimìs peritiores Medici erant aut Chirurgi, & quibus præsidebat D. de Courcelles Medicus primarius ejusdem Nosocomii. Sic ibi prostat recognitio eorum peregrinorum corporum, quam hìc integram retulisse pluribus lectoribus placebit. Eam enim notam facimus ineunte anno 1786, quo tempore nimis heu! celebrantur apud nos vana humanæ rationis ludibria, inter dolosas

Scriptores merè ſcholaſtici celebrârunt, ab epochâ detectæ circulationis ſanguinis ad nos uſquè.

Non noverim fieri mentionem de obſtructione in particulari apud veteres Medicos. Sed patet ejus effectus ipſis apprimè cognitos fuiſſe. Et ut clariores Auctores excitemus, nonne

---

credulorum ſomnambulonum magneticorum calliditates. Ita autem legitur loco citato.

INVENTAIRE de ce qui a été trouvé dans l'eſtomac du nommé André Bazyle, forçat.

» Une portion de cercle de barrique, de dix-neuf pouces de long, » ſur un pouce de large.

» Un morceau de bois de genet, de ſix pouces de long & un demi- » pouce de diamètre.

» Un morceau *idem*, de huit pouces de long, même diamètre.

» Un morceau *idem*, de ſix pouces de long, même diamètre.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces, même diamètre.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces de long, coupé dans ſa » longueur, à-peu-près par le milieu.

» Un morceau de bois de chêne, de quatre pouces & demi de long, » un pouce & demi de large & un demi-pouce d'épaiſſeur.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces de long, un pouce de large, » ſur huit lignes d'épaiſſeur.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces de long, un pouce de large, » ſur un demi-pouce d'épaiſſeur.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces de long, un demi-pouce » de largeur, ſur quatre lignes d'épaiſſeur.

» Un morceau *idem*, de deux pouces de long, un pouce de large, » ſur un demi-pouce d'épaiſſeur.

Galenus plurimis in locis optimè docuit quid ſcirrhus eſſet? Nonne & Hippocrates ipſe perito ſuo Commentatori calcaverat viam, perſpicaciores tradendo notitias de viſcerum indurationibus, præſertimque de iis quæ contingunt in hepate &

» Un morceau *idem*, de quatre pouces & demi de long, quatre
» lignes de large ſur chacune de ſes quatre faces.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces de long, de forme trian-
» gulaire, avec une ſurface de quatre lignes.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces de long & quatre lignes de
» diamètre.

» Un morceau *idem*, de cinq pouces de long, un demi-pouce de
» large & deux lignes d'épaiſſeur, ſéparé dans ſa longueur par le
» milieu.

» Un morceau *idem*, de cinq pouces de long, quatre lignes de
» large & deux lignes d'épaiſſeur.

» Un morceau *idem*, de forme irrégulière, trois pouces de long
» & trois lignes d'épaiſſeur.

» Un morceau *idem*, de trois pouces de long, un demi-pouce de
» large & trois lignes d'épaiſſeur.

» Une portion de cercle de barrique, de cinq pouces de longueur,
» ſur un pouce de large & deux lignes d'épaiſſeur.

» Un morceau de ſapin, de quatre pouces de long, ſur un pouce
» de large & cinq lignes d'épaiſſeur.

» Un morceau *idem*, de quatre pouces de long, quatre lignes de
» diamètre.

» Un morceau *idem*, de deux pouces & demi de long, d'un pouce
» de large, en forme de coin, épais à ſa baſe, de quatre lignes.

» Un morceau *idem*, de trois pouces de longueur, d'un demi-pouce
» d'épaiſſeur, & de forme irrégulière.

liene? Non omiſſis quoque ſcirrhis uterinis, qui legitimi etiam ſunt fœtus obſtructionum, de quibus tàm expreſsè locutus eſt lib. 2 de mulier. morb., cap. 38, tùm ubi de naturâ muliebri.

Jam reſtat generalem quamdam obſtructionum diagnoſim

» Un morceau *idem*, de deux pouces & demi de long, & quatre » lignes d'épaiſſeur.

» Une portion d'écorce de cercle, de trois pouces & demi de long, » ſur un pouce de large, faiſant partie d'un grand morceau de qua- » torze pouces, détachée de la partie ſupérieure qui étoit dans l'œſo- » phage, & qui eſt tombée dans l'eſtomac.

» Un bouchon de bois, d'un pouce de long, ſur un pouce de » diamètre.

» Une cuiller de bois, rognée ſur les bords inférieurs, de cinq » pouces & demi de long ſur un pouce & demi de large.

» Un tuyau d'entonnoir de fer-blanc, de trois pouces & demi de » long, un pouce de diamètre ſupérieurement, & un demi-pouce » inférieurement.

» Une autre portion d'entonnoir, de même matière, de deux pouces » & demi de long ſur un demi-pouce de diamètre.

» Le manche d'une cuiller d'étain, de quatre pouces & demi de » long.

» Une cuiller d'étain entière, de ſept pouces de long, le cuilleron » replié.

» Un autre cuilleron de même matière, de trois pouces de long.

» Un *idem*, de deux pouces & demi de long.

» Un briquet de fer, de deux pouces & demi de long, large d'un » demi-pouce ſur une de ſes faces, & de quatre lignes d'épaiſſeur, » peſant une once & quatre gros & demi.

præbere,

præbere, ſimul & prognoſim. Quoad diagnoſim, in hoc illa conſiſtit, quòd obſtructiones ſæpenumerò innoteſcant tumore quodam duro magis vel minùs indolente, quandò ſcilicèt ſedent in organo per tactum interrogando. Sed ſi obſtructionibus afficiatur viſcus minimè obvium ſenſui tactûs noſtri; aut ſi moles earum non creaverit tumorem ullum qui agnoſci poſſit: tunc judicare licet viſcus illud obſtructum eſſe, cujus ſecretio vel

---

» Un fourneau de pipe écorné, avec un morceau de tuyau, le » tout de trois pouces de long.

» Un clou de demi-liſſe, épointé, avec ſa tête, de deux pouces » de long.

» Un clou de petit-fix, extrêmement pointu, d'un pouce & demi » de long.

» Une portion de cuiller d'étain applatie, d'un pouce de long ſur » un demi-pouce de large.

» Trois portions de boucles d'étain, de figure irrégulière, environ » chacune d'un demi-pouce de long.

» Cinq noyaux de prunes.

» Un petit morceau de corne.

» Deux morceaux de verre blanc, dont le plus grand a un pouce » quatre lignes de long, ſur un demi-pouce de large, de forme » irrégulière.

» Deux morceaux de cuir, dont le plus grand a trois pouces de » long ſur un pouce de large, de forme irrégulière; & l'autre, d'un » pouce quatre lignes de long & un demi-pouce de large.

» Un couteau avec ſa lame, à manche de bois recourbé, de trois » pouces & demi de long & d'un pouce dans ſa plus grande largeur: » le tout enſemble formant cinquante-deux pieces, & peſant en total » une livre dix onces & quatre gros.

alia quævis functio constanter læditur. Quod judicium aliundè firmari planum est, si præcesserint causæ aptæ ad malum illud generandum. Sic cachexia & alvi adstrictio quæ succedunt ictero aut hepatitidi malè terminatis, indicant hepar obstructionibus tentari. Et similiter, anhelatio ad minimum motum accidens, aut habitualis dyspnœa quæ succederet peripneumonico morbo non terminato per bonam resolutionem neque per suppurationem, foret signum indurationis schirrosæ pulmonum. Quæ exempla sufficiant.

Prognosis obstructionum sequitur momentum visceris affecti, sicut & magnitudinem naturamque causæ & effectuum obstructionis. Sed in genere spectantur tanquàm insanabiles obstructiones quæ prorsùs schirrosæ sunt, nullo nempè sensu illis in partibus superstite; dùm è contrà aliqua remanet spes, quandò partes nuper obstructæ sensu quodam obscuro adhuc gaudent. Verùm ubi obstructiones doloribus stipatæ sunt lancinantibus, eæ pessimum suum statum adipiscuntur.



CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

De vasis Sanguiferis.

RATIONE diverſitatis quæ ſedet inter ſanguiferas arterias & venas quoad eorum vaſorum munera, congruum eſt diſtincto articulo exponere phœnomena ſemeïotica & pathologica quæ pertinent ad hanc diſtinctam vaſorum ſpeciem.

ARTICULUS PRIMUS.

De arteriis ſanguiferis.

PRÆCIPUA phœnomena ſanitatis & morborum quæ ex arteriis ſanguiferis obtinentur, reſpiciunt vitalem motum ſanguinis per vaſa illa, tùm ſingulares eorumdem vaſorum pulſationes. His tamen ibi ſuperſedebimus, quia congruentiùs diſceptabuntur cap. XVIII, ubi de pathologiâ & ſemeïotice circulationis ſanguinis.

Nunc ea duntaxat evolvenda ſuſcipimus quæ pertinent ad mutationes contingentes in corpore ipſo arterioſo, qualia ſunt aneuriſma, rupturæ, oſſificationes: tùm phœnomena illa quæ in ultimis arteriarum finibus patrari vulgò putantur, qualia ſunt variæ ſanguinis emigrationes, inflammatio, &c.

Aneuriſmatis nomine audit tumor cujuſvis arteriæ dilatatæ. Legitimum aneuriſma dicitur, quandò arteria aliundè illæſa intumeſcit alicubi, ibique plus minùſve tumida remanet: ſpurium verò, quandò arteriæ ſic dilatatæ tunica interna aut externa rupta eſt, vel eroſa, vel diſſecta; adeò ut tunica tunc ſuperſtes, ideòque debilior, cogatur inſolitam hoc in loco pati

diſtenſionem, undè arteria ibi elevetur in tumorem aneuriſmaticum dictum: ſic amittendo uniformem figuram ſuam cylindraceam & efformando quemdam veluti ſaccum ſeu ſinum extraordinarium.

Aneuriſma legitimum præcipuè accidit in vaſis præcordialibus, tùm in carotidibus. Spurium verò ubicùmque. Prioris cauſa habetur in maximis conaminibus tùm in diuturnis orthopnœis ut & in violentis vomitibus; poſteriorum verò in vulneribus, contuſionibus, & accidentalibus eroſionibus.

Dignoſcuntur aneuriſmata ex prægreſſis aliquibus cauſis relatis, quibus ſucceſſerunt ſequentia ſymptomata; nempè palpitationes habituales, aut ſaltem frequentiſſimæ, ſi aneuriſmata in corde fuerint vel cordi propiora: tumor verò nonnihil ſub digitis fremens, facilè cedens preſſioni iterùmque ſeſe extendens illicò, ſi malum fuerit tactui propinquum. Quæ utraque metuendas præſagiunt lethales vaſorum crepaturas, aliquandò obſervatas in corde ipſomet.

Rupturæ, quæ ſunt alterum malum arteriis quandòque contingens, frequentem ergò cauſam agnoſcunt in aneuriſmatibus diù toleratis, ſicut & in arterioſarum tunicarum eroſione paulatim accidente, necnon in earumdem vulneratione & nimiâ diſtenſione. Eæ in aortâ quidem fiunt difficiliùs quàm in arteriis pulmonaribus, quia iſtæ frequentiores gravioreſque obices patiuntur; ſed nullibi faciliores quàm cerebroſis in arteriis, eò quòd propria earum tunica multò gracilior ſit & debilior, prætereàque obnoxia frequentiſſimis ſuccuſſionibus, occaſione vehementium vociferationum, anhelationum & vomituum.

Tertiò appellandæ ſunt ſingulares illæ oſſificationes, contingentes inter arteriarum tunicam cellularem & nerveam, præſertimque in magnis truncis propè cor. Quæ oſſeæ, ſeu potiùs

lapideæ concretiones fiunt ab extravasatâ ibidem materie crystallisabili, potissimùmque accidunt apud robustos homines, violentis motibus corporeis addictos, & solent dare occasionem palpitationum cordis, tùm anhelationum in lethalem deniquè orthopnœam abeuntium. Sic obiit Vesuntione Medicus Delale, in quo repertum fuit orificium pulmonaris arteriæ veluti lapideum, valvulisque suis omninò orbatum.

Phœnomena demùm morbosa quæ putantur fieri propè fines arteriarum, sunt ea quibus ponitur Inflammatio necnon *Ecchymosis;* quibus addenda sunt varia sanguinis effluvia, quæ justâ apud veteres Medicos distinctione vocantur nomine *Rixis* vel *Diæresis:* tùm *Diabrosis* vel *Anabrosis*, & demùm *Anastomosis;* quibus olim adjecta forsan non fuisset *Diapedesis*, si tunc fuissent meliùs cognita exhalantium viarum oscula, accidentaliaque munera eorum.

De hisce variis emigrationibus sanguineis, nihil est cur longiùs differamus. Sat erit explicatiùs protulisse quid sit *Ecchymosis* & Inflammatio. Quæ duæ quæstiones totidem sectionibus explanandæ nunc veniunt.

SECTIO PRIMA.

Inflammatio.

Inflammatio, sic dicta ob inseparabilem calorem adauctum, est ille status partium humani corporis, in quo eæ magis vel minùs tument, simul & dolent calentque rubentque, cùm adjunctâ febre occupante corpus integrum, saltemve partem morboso illo apparatu affectam. Quæ omnia signa internis partibus inflammatis convenire patet, per ea quæ contingunt in externis.

Generatur inflammatio ab irritatione quâdam ſingulari alicubi excitatâ, quam ibi paſſim produci creditur ab humore quodam acri vel & ab ipſomet ſanguine; ſed quæ probabiliùs naſcitur ex eo quòd hic locus ſingularem nactus ſit ſenſum pathologicum accidentalem. Hoc reverà fit imprimìs occaſione frigoris ſuprà partem aliquam agentis, tùm occaſione alicujus impreſſionis quaſi contundentis, aut vim veluti epiſpaſticam ibi exercentis, quibus prædicta inducitur ſenſificatio pathologica; ſed & ſæpiſſimè illud idem etiam fit, quia partes pathologicum quemdam ſenſum nanciſcuntur per ſympathiam quam habent cum aliis corporis partibus ſuo modo irritatis, ideòque aptæ evadunt ad localem contrahendam irritationem inflammatoriam.

Quæ irritatio localis, ſemel alicubi nata, ſanguinem allicit versùs viciniam loci illius; adeò ut tali occaſione fiat major vaſorum ejuſdem loci plenitudo necnon & oſcillatio fortior: quibus de cauſis aliqua ſanguinis extravaſatio contingat in textu cellulari obvio. His porrò meditatis facillimè concipere eſt cur inflammata pars tumeat, doleat, caleat & rubeſcat, ſicut in definitione inflammationis dictum eſt; imò intelligitur exindè cur horrores plerùmque concutiant corpus ineunte inflammatione; cur etiam poſt horrorem ſuccedat febris, vel in toto, vel in parte tantùm.

Hanc ſimplicem fuiſſe opinionem Hippocratis patet ex ſcriptis ejus. Quippequì, explicando modum quo conciperet fieri inflammationem pulmonum ex quâ naſceretur purulentia eorum, ſic loquatur lib. 1. de morbis, ſect. v. Foëſ. pag. 9. lin. 28 & ſeq. *Caro vulnerata* (id eſt, irritata) *aliquantulùm reſiccatur & incaleſcit, & ex vicinis tùm venis, tùm carnibus humiditatem ad ſe trahit; cùmque attraxerit, intumeſcit & inflammatur.* In quo textu ſagax ille obſervator evidenter non ſolùm auctoritate ſuâ ap-

probat copiosiorem humorum & sanguinis appulsum, necnon & singularem dispositionem partis quibus creari inflammationem intelligimus; verùm etiam indicat subtilia illa *latibula* quæ circà partes omnes adesse notat lib. de arte (1), & quæ nihil aliud sunt nisi subtiles eæ cavernulæ invicem communicantes, quarum concursu efformatur organica hæc pars corporis, nunc nomine textûs cellulosi designata apud Scriptores hujus sæculi; & in quâ contendimus aliquam semper sanguinis extravasationem accidere, dùm alicubi gignitur inflammatio.

Neque dubitare licet quòd ingeniosus magni Hippocratis interpres Galenus aliam inflammationis ideam habuerit, quoniam sic aït lib. x. de method. med., cap. 6: *Cùm sanguis calidus copiosior in aliquam animalis partem procubuit, majora ejus vasa protinùs distenduntur, utpotè abundantiæ continendæ non sufficientia; ab his deinceps quæ minora sunt. Mox ubi nec iis satis continetur, exsudat foràs in ea ampla spatia, quæ inter vasa sunt, sic ut & OMNIA quæ in compositâ carne habentur LOCA occupet.*

Prædictæ inflammationis imagini eò lubentiùs animus hæret noster, quò pulchrior simul & veracior indè illucet theoria symptomatum ejus mali, variorumque illius eventuum, sicut mox ex dicendis apparebit. Undè non veremur asserere penitùs fabulosam esse theoriam Boërrhaavianam, & quidem multiplici de causâ, irritis obsequiosis Gerardi VANSWIETEN commentariis. Namque 1°. imaginariæ omninò sunt successivæ decrescentium vasorum series indefinitæ, suprà quas ingeniosus Batavus suam extruxit doctrinam: imaginariusque proindè *error loci.*

---

(1) Vide not. pag. 127.

Dantur duntaxat ultimæ arteriolæ rubræ quæ reflectuntur in venulas rubras; ex his arteriolis rubris oriuntur arteriolæ flavæ quæ in flavas venulas abeunt; & deniquè, ex arteriolis flavis sobolescunt arteriolæ albæ, aliter lymphaticæ dictæ, quæ reflectuntur in venulas albas. Sed eæ arteriolæ quæ in statu sano inconspicuæ sunt, & quæ tamen rubescunt occasione inflammationis, non spectari debent tanquàm sanguini rubro alienæ, sicut Boërrhaavius putabat censendum esse de vasis conjunctivæ oculorum membranæ, & de similibus, ad hoc ut systema suum ornaret. Tenuiores illæ arteriolæ sunt duntaxat inconspicuæ, quoties solitarios globulos sanguinis rubros vehendos habent; eæque absquè *errore loci* evadunt conspicuæ, quoties sanguine copiosiori turgent. Quod verò spectat illas arteriolas quæ omninò pellucidæ & de facto imperviæ sunt globulis rubris; cùm diameter earum multò tenuior sit quàm moles globuli unius rubri, impossibile est ut ii globuli rubri ibi admittantur; ideòque temerarium est invocare *errorem loci* ad hunc imaginarium ingressum explicandum. 2°. Ea obstructio vasculorum atteriosorum, ex quâ inflammationem creari supponebat Boërrhaavius, nequaquàm potis est reddere sanguinis motum celeriorem in hisce vasis, nec fortiorem ejus ibidem attritum determinare. Demonstravit equidem SAUVAGESIUS, sanguinis affluxum & motum è contrà ibidem diminui ab obstructione : proindèque perperàm affirmari, quòd à simili causâ inflammatorius calor produceretur, sicut nec dolor. 3°. Non concipitur quomodò inflammatorius rubor tàm æquabiliter foret diffusus in parte inflammatâ, si procederet ex ramificatis vasis rubro sanguine turgidis. Ad summum videretur hanc partem discretis duntaxat vasculis variegatam ab hinc futuram esse; sicut accidit post feliciores coloratæ ceræ injectiones. 4°. Deniquè, non quadrat

quadrat vasculorum arteriosorum obstructio, sicut nec *error loci*, cùm variis inflammationis symptomatibus cæteris, sicut nec cùm variis ejus speciebus ac eventibus; dùm ea omnia optimè conveniunt cùm theoriâ Hippocratis & Galeni.

Ex simplici itaque veterum eorum Medicorum theoriâ, haud difficulter eruitur quodcumque inflammationis phœnomenon. 1°. Quomodò, efficaciâ stimulationis alicujus localis & specificæ, alliciatur major copia sanguinis versùs hanc partem; ideòque ibidem inflammatio nascatur, quocumque modo ille sanguis constitutus sit; quod factum, evidenti æquè ac constanti eventu firmatur, quoties pharmaca rubefacientia dicta viventi applicantur corpori. 2°. Quomodò sanguis versùs locum irritatum determinatus ac veluti attractus, magis repleat ejus vascula, eorumque oscillatoriam adaugeat actionem. Quarè proindè eadem vascula nimioperè acta, hunc tandem sanguinem cogantur partim adigere in obvias cellulosæ telæ cavernulas, ibidem sanguineum faciendo decubitum: adeòque, cur ibidem producatur tumor, calor, dolor, necnon rubor æquabiliter diffusus? 3°. Quomodò prædictus apparatus, ab irritatione exordium trahens, valeat præcursores inflammationis horrores accersere; tùm proritare febrem in parte saltèm inflammatâ, si non in toto corpore : videlicèt, pro gravitate irritamenti, & pro sensibilitate ac *regimine* partis irritatæ. 4°. Quomodò contingant inflammationis eventus diversi, nempè resorptiones sanguinis effusi, cæteraque abeuntis inflammationis phœnomena, de quibus mox in particulari. 5°. Demùm, ex eâdem theoriâ optimè quoque deducitur quomodò concipiendæ sint variæ inflammationis species ab antiquis Medicis distinctæ & recognitæ: à quibus, nè latum quidem unguem, ausi sunt recedere Neoterici; quæ differentiæ maximi sunt momenti in quæstione

propoſitâ, & quibus explicandis nunc incumbendum.

Equidem, ratione aliquarum diverſitatum valdè notabilium, quas eſſentialis ſymptomatum inflammatoriorum tenor admittit, Neoterici poſt veteres agnoverunt inflammationem unam quam *phlegmonem* vocavêre: aliam verò, nomine *eryſipelatis* diſtinctam.

Phlegmo nempè dicitur tumor inflammatorius ſat elevatus, paulisper renitens, circumſcriptus, ſedem non nihil profundam ſimul obtinens, intenſo donatus rubore, ſtipatus dolore tenſivo ac pulſanti; cùm adjunctâ febre: vel in toto, vel in affectâ tantummodò parte.

Eryſipelas verò audit tumor inflammatorius ſuperficiarius, non circumſcriptus, colore donatus ex flavo rubente qui digiti preſſione evaneſcit, ſtipatus dolore deurente; cùm adjunctâ etiam febre: vel in toto, vel in parte tantùm.

Prædictæ phlegmonis & eryſipelatis diſcrepantiæ ex hoc potiſſimùm pendent, quòd phlegmonis materies craſſior ſit; ejuſque ſedes laxior & minori ſenſu donata quàm ſedes eryſipelatis, ſicut mox apparebit. Itaque, dùm phlegmo adeſt, præter vaſa vicina (quæ magis ſanguine turgent quàm in ſtatu ſano), afficitur laxus textus cellularis benè profundus partium, quatenùs ibi extravaſatus eſt ſanguis ſat copioſus, magis vel minùs craſſus & pinguedini inquilinæ admixtus. In eryſipelate verò, unà cùm vaſculis ſuperficiariis, occupatur compactior duntaxat textus ille cellularis pinguedine orbus, qui denſâ in facie membranarum exiſtit; ibique effuſa eſt aliqua ſanguinis portio multò tenuior & acrior, donata colore rubro ad bilioſum tendente, quam ideò bilioſam dixêre veteres Medici. Quæ eryſipelatoſa materies, cùm parcior & acrior ſit, & cùm ſtimulet partes acutiori ſenſu tunc donatas, capax eſt ſuperficiarium duntaxat

tumorem, ruboremque levem ibi facere, & deurentem excitare dolorem: dùm in phlegmone tumor major est, saturatèque ruber, prætereàque dolor tensivus ac pulsans.

Nî vetasset præoccupatio Boerrhaavii ergà theoriam suam, quis assignatas phlegmonis erysipelatisque diversas sedes accuratiùs evolvisset? Cùm ipse, vi illius veritatis agnoverit, §. 374, inflammationem nullibi sedere *frequentiùs ac tenaciùs quàm in adipe*; in quâ etiam, ipsemet prædicti scriptoris Commentator fatetur sanguinem quasi transudare & accumulari effectu inflammationis; undè, inquit, *tumor ruber & durus veram phlegmonem comitans, oriri videtur, qui* FERE SEMPER TANTUM IN HAC TUNICA CELLULOSA HÆRET. Quo sanè in loco incogitans ac veluti coactus Vanswieten admittit theoriam Veterum; sed cùm modificatione singulari: firmus quoad cætera adhærendo doctrinæ præceptoris sui.

Conceptâ ut statuimus inflammatione, jam nunc quærendum 1°. quænam sit præcisè materies inflammatoria; 2°. quid censendum sit de crustâ illâ albâ, durâ, ac veluti caseosâ aut coriaceâ, quæ sæpè videtur in superficie sanguinis refrigerati, & quæ à multis Medicis spectatur tanquàm genuina inflammationis materies.

Quoad primum, dicimus materiem inflammationis cujusvis nihil aliud esse quàm portionem sanguinis hominis ægroti, quæ ibi inflammatoria fit ob apparatum localem suprà designatum; & quæ ibi peculiares acquirit dotes, tùm quia secessit à toto, tùm quia extraordinarium attritum & calorem ibi patitur. Contendimus proindè nullam sanguinis qualitatem per se esse capacem producendæ inflammationis: sed sanguinem magis vel minùs pronum esse ad inflammationem contrahendam; magis vel minùs calidam & legitimam, pro variâ suî constitutione.

Consequenter, si sanguinis massa fuerit cruore dives & densa (qualis existit in hominibus actu sanguinolentis), & si pars quædam tunc inflammatione tentetur, talis sanguis tunc habebitur inflammatus in loco ita affecto; qui proindè locus laborabit phlegmone legitimâ, aut legitimo erysipelate: dùm homo donatus sanguine pituitoso, biliosove & putridulo, laboraret inflammatione œdematosâ, biliosâve putridulâ. Sanguis enim, seu densus sit seu biliosus & vario modo saniosus, inflammatur per ipsam suam duntaxat depositionem atque concalefactionem in foco inflammatorio; illeque hoc ipso quòd ibi inflammatus sit, nanciscitur qualitatem diversam à suâ pristinâ qualitate: ut facilè patet ex eo quòd indigeat elaboratione peculiari ad hoc ut impunè resorberi queat: tùm ex eo quòd, si ille forsan metastaticè transferatur, non semper creet inflammationem priori similem, sed sæpiùs morbum valdè diversum.

Si sanguis per se foret inflammatorius ob peculiarem suî qualitatem, nunquàm generaretur inflammatio nisi universalis: eaque semel nata non desineret adaugeri, quin priùs deleretur supposita illa sanguinis qualitas per se inflammatoria. Porrò contrarium ex utroque capite observatur. Inflammatio semper particularis est; illaque fatiscit & crescere cessat, absquè quòd sanguinis massa dimiserit suas qualitates & emendata fuerit. Copiosus equidem sanguis densus & cruore dives conducit ad suscipiendam inflammationem. Sed id non præstat, nisi quia mole suâ distendit vasa corporis, eaque distendendo irritat ubi magis facilè irritari queunt, atque ideò illa disponit ad generandam inflammationem. Primereà accidit aliquandò, ut in plethorico homine dolor aliquis præcedat inflammationem: quæ tunc non exspectat nisi sufficientem irritationem localem, ad hoc ut nascatur. Sed sæpiùs inflammatio incipit absquè prævio

ullo dolore, quandò ſcilicèt pars aliqua alio modo determinatur ad inflammatoriam irritationem ſuſcipiendam; nimirùm occaſione ſubitanei frigoris, aut alterius cujuſpiam irritationis externæ vel internæ; quas inter annumeranda eſt irritatio inflammatoria quam producit miaſma quoddam deleterium alicubi defixum, ſeu per accidens, ſeu motu naturæ ſymptomatico aut critico: quale eſt morbilloſum, varioloſum, furunculoſum, carbunculoſum, &c. Horum enim omnium effectu, pars ab illis occupata variè ſenſificatur & conſtringitur; ſicque diſponitur ad contrahendam irritationem inflammatoriam, quæ decubitum hujus naturæ ibi determinat & facit eumque non nihil varium, pro variâ individui affecti conſtitutione & Idioſyncraſiâ. Conſequenter, in homine qui bono ſanguine actu plenus eſt, accidet utroque in caſu inflammatio phlegmonoſa aut eryſipelatoſa legitima: dùm iiſdem de cauſis, homo pituitoſus, ſanguineve bilioſo & pravo donatus, non tentabitur niſi inflammatione œdematosâ, vel & biliosâ ac putridulâ. Porrò, hanc inflammationem in utroque homine ſimilem neceſſariò futuram eſſe quis non intellexerit, ſi unica foret inflammatoria materies?

Quoad ſecundum quæſitum, nempè quid cenſendum ſit de cruſtâ albâ quæ in ſanguine poſt venæ ſectiones refrigerato ſæpè obſervatur, hæc eſt opinio noſtra. Quoties adeſt inflammatio quædam paululùm gravis, ſeu phlegmonoſa ſit ſeu eryſipelatoſa ſeu catharralis, apud homines ſanguinolentos (præſertimque tempore verno aut ad vernum approximante, in conſtitutionibus tempeſtatum regularibus); toties videre eſt ſanguinem in ſcutellis refrigeratum obtegi cruſtâ quâdam albâ, veluti caſeosâ, magis vel minùs densâ & ſpiſsâ; niſi aliquid fortè obſtiterit illius apparitioni, ſicut infrà explicabitur. Quæ cruſta alba, gallicè dicta *la couenne*, ſpectanda quidem eſt velut ſignum

ſeu aliquâ circumſtantia conſtitutionis inflammatoriæ, in quâ nempè faciliùs generantur legitimæ inflammationes magis vel minùs graves, ſi detur occaſio; ſed ea minimè haberi debet tanquàm materialis cauſa inflammationis, ſicut nonnulli ſcriptores perperàm celebrârunt; hujuſque noſtræ aſſertionis ſequentes ſunt rationes.

Si hæc cruſta alba ſanguinis talem poſſideret virtutem inflammatoriam, quarè 1°. non generaretur univerſalis aut ſaltem multiplex ſimul inflammatio, in homine cujus ſanguis ita cruſtoſus eſſet? Dùm è contrà, ſi fortè naſcatur inflammatio, ea non ſit niſi in parte quæ diſpoſita fuit ad ſuſcipiendam localem irritationem inflammatoriam, minimè verò in pluribus ſimul partibus; 2°. quomodò inflammatio, ſemel nata ob præſentiam talis cruſtæ ſanguinis, curari poſſet antequàm delata & extincta penitùs fuiſſet ea pars ſanguinis inflammatoria? Dùm è contrà, multò ſpiſſiore ſimul & denſiori cruſtâ refertus eſt ſanguis qui ultimò mittitur in ipsâ pleuritide, vel feliciùs abiturâ: quod & idem contingit, quandò ſanguis fortuito caſu mittendus eſt poſt curatam pleuritidem aut peripneumoniam; 3°. quarè in caſu vulneris aut ictûs accidentalis, tàm ſæpè mittatur ſanguis forti denſâque illâ cruſtâ albâ oneratus, ſicut & paſſim in aliis occaſionibus benè multis, quamvis de ullâ inflammatione non cogitetur tunc temporis, nec ullum omninò detur illius veſtigium? 4°. quarè demùm (& hæc obſervatio majoris adhuc momenti videtur); quarè inquam, frequentiſſimæ naſcerentur inflammationes, eæque dolentiſſimæ ac periculoſiſſimæ, quandò ſanguis (perperam ſanè tunc miſſus) nativâ veluti plaſticitate ſuâ deſtitutus videtur ſub ſpecie variegati cujuſdam tabi aut ſaniei duntaxat ſanguinolentæ, nedùm refertus ſit illâ famosâ cruſtâ albâ quæ inflammatoria dicitur per excellentiam? Nonnè ſimiles inflam-

mationes admodùm dolentes & acutæ obſervantur in febribus illis epidemicis, pleuritides aut peripneumonias, alteriuſve viſceris *phlegmaſias* mentientibus? Quæ tàm ſæpè graſſantur initio hyemis ob vigentem conſtitutionem atrabilioſam bilioſamve: quæ & ab hìnc longiùs quandòque regnant, ſi modò prædicta conſtitutio extendatur ultrà ſolitum terminum ſuum: aut quæ etiam quocumque anni tempore paſſim aggrediuntur aliquot homines prædictâ conſtitutione biliosâ vel atrabiliosâ laborantes.

In talibus equidem febrilibus morbis, ut abundè nôrunt Medici clinici, dantur ſemper varii dolores, ſeu pleuritici ſeu alii diverſi, qui realem arguunt reipsâ inflammationem: ſed inflammationem quæ, ſive phlegmonodea, ſive eryſipolatodea fortè videatur, ſemper eſt ſpuria & maligna; naturæ ſcilicèt bilioſæ, putridulæ, ferèque gangrænoſæ; cujus nempè materies non eſt ſanguis denſus & dives; ſed ſanguis bilioſus atrabilioſusve perquàm depravatus, ſanguinolentam duntaxat amurcam referens. Qui ſanguis, vel in pectore, vel alibi varios decubitus facit (*ſtaſes* febriles paſſim dictos), ibique inflammatur propter ſingularem variorum eorum locorum ſenſificationem; quam ſympathicè & tàm ſæpè inducit ac fovet bilioſa primarum viarum ſaburra, magis vel minùs putrida: ſicut patet ex præſenti levamine quod uſu efficacis vomitorii obtinetur, dùm venæ ſectiones jugulant. Quis Medicus attentus non noverit quantùm tales inflammationes diſcrepent ab inflammationibus legitimis, tùm quoad genium, tùm quoad decubitûs unitatem & ſtabilitatem? Putridæ enim illæ inflammationes obtinent plures ſimul manſiones, ſæpè pullulantes niſi ipſis occurratur; earumque ſpontànea tendentia eſt versùs gangrænam & ſphacelum, à quibus mutuantur lethaliſſimum ſuum characterem. Cùm verò hæc ita ſint omnia, ſaltem quoad naturam ſanguinis prædictas inflam-

mationes putridas & gangrænosas producentis : quis nunc dixerit, quòd unica sit inflammatoria materies ? & quòd prædicta illa pars alba crustosa sanguinis, gallicè dicta *la couenne*, sit vera & unica materies per se inflammatoria ?

Non hìc stetit erronea consideratio Pathologorum. Medici benè plures, consilio Baglivii, crediderunt abstinendum esse à venæ sectionibus in ipsâmet pleuritide magis legitimâ, si fortè crusta illa alba tunc non cooperiat sanguinem è venâ missum: quinimò venæ sectiones deinceps celebrandas non esse, quantùmvis sæviret pleuritis, ubi ea crusta primitùs observata jam non apparet in unâ venæ sectione.

Verùm error ille haud difficulter diruitur. Attendere sufficit ad naturam crustæ illius, & quòd illa sæpè reipsà adsit pro oculis ad id eruditis: quamvis non appareat oculis qui contrariâ imagine occupati sunt. Quæ ut elucescant, quærendum quid sit illa crusta, & quomodò formetur ? Deindè, cur illa aliquandò abesse videatur ab inflammationibus legitimis, quamvis de facto existat ?

Crusta sanguinis inflammatoria dicta, gallicè *la couenne*, ea est ipsamet pars sanguinis alba & plastica, quasi caseosa, non potens in aquâ solvi & reliquo sanguine specificè levior, quæ in omni sanguine reperitur magis vel minùs copiosa. Quæ copiosior quidem, atque densior plerùmque apparet, quandò datur constitutio sanguinea, de quâ cap. 2 actum est ; sed quæ etiam valdè sensibilis est, ubi vel minimè cogitatur de inflammatione, sicut patet ex venæ sectionibus in aquâ passim celebratis.

Porrò ex eo quòd illa caseosa pars sit specificè levior sanguine reliquo, nonne exemplo cremoris lactis ea debet pedetentim assurgere ad superiorem sanguinis coaguli superficiem prout formatur coagulum illud, dummodò nihil obstiterit ? Nonne & ea separatio perfectior erit, quò lentior sanguinis refrigeratio

refrigeratio & major ejus quies inter refrigerandum? Nonne demùm eadem pars ſanguinis in cruſtam abibit tenuiorem ſpiſſioremve, prout ſanguis receptus fuerit in vaſe latiori aut diametri è contrà multò minoris? Similia ſanè fieri in lacte, nôrunt ipſæmet mulierculæ.

Conſequenter, ſi ſanguis graciliori tantùm rivulo aut guttatim ex venâ fluxerit, ſicut contingit in illis venæ ſectionibus quæ vernaculè dicuntur *ſaignées baveuſes*: ſi ſanguis emiſſus permoveatur dùm refrigeſcit: tùm ſi reponatur frigidiori in loco ſtatim ab ejus effuſione: in quâcumque profectò earum circumſtantiarum non licebit albæ ſanguinis parti petere ſupernam coaguli faciem pro levitate ſuâ; ſicut nec liceret lacti ſuum evomere cremorem, ſi illud ſimiliter tractaretur poſt mulctram. Quemadmodùm verò cremor lactis in ejus coagulo abditus tunc lateret, ita & caſeoſa ſanguinis pars omninò inviſcaretur à reliquo ſanguine & retineretur permixta in coagulo: vel & ea tantummodò generaret quamdam cruſtam colore coccineo donatam, in coaguli ſuperficie; qui color, quamvis primo intuitu videatur teſtificari exindè abeſſe hanc cruſtam inflammatoriam dictam, nihilominùs illam recondit: ſed perſonatam ſub hoc ipſo rubore rutilanti aut variegato. Hoc ex diſciſione coaguli facilè comprobare eſt.

Cuicumque prædictas obſervationes facienti dabitur colligere quòd, ſi reipsà detur in ſanguine copioſa illa pars alba, ea ſemper abeat in cruſtam magis vel minùs ſpiſſam & ſupereminentem coagulo ſanguinis refrigerati in ſcutellis. Quæ cruſta omninò alba erit in ſanguine congruenter emiſſo, non perturbato poſt emiſſionem, neque citiùs refrigerato; ſed quæ velabitur colore coccineo valdè rutilanti aut variegato, ideòque fallere capaci, quandò aliqua ex prædictis circumſtantiis locum habuit

tempore fluxûs ſanguinis, aut poſt eumdem. Quoties mihi accidit, comprobandæ hujus veritatis causâ, ut illam cruſtam inflammatoriam dictam mutarem aut de integro celarem pro nutu & arbitrio! Res eo modo toties mihi ſucceſſit, vel in unâ tammodò ſcutellâ inter plurimas: vel in unâ venæ ſectione inter alias mediâ. Caveant ergò Tyrones à conſilio Bagliviano.

Nunc diagnoſim variarum inflammationum tradituri, dicemus primò de ſpuriis. Eæ autem inflammationes ſpuriæ, ſeu ſtaſes inflammatoriæ febriles & putridulæ, diſtinguntur à legitimis inflammationibus ſequenti artificio. Nempè attendendum ad actualem hominum conſtitutionem generalem & particularem; ad ætatem rationemque vivendi individuorum affectorum; tùm imprimis ad normam dolorum; ad vires ægrotantis, ut & ad qualitatem pulsûs ejuſdem. Horum ſignorum beneficio fas erit dignoſcere tales inflammationes, ſeu ſporadicæ fuerint & accidentales, ſeu fuerint epidemicæ. De ſignis ex regnante populari conſtitutione eruendis, aut ex ægrotantis conſtitutione ac ætate videatur caput ſecundum. Quod ſpectat reliqua, hæc ſunt:

1°. Dolores creati ab inflammatione ſpuriâ ſeu putridulâ, nullum vel minimum plerùmque adducunt horrorem dùm incipiunt. Ii ſunt acres & deurentes, quamvis nonnihil obſcuri. Triſtitiâ & mentis dejectione ſtipantur, unà cum ſiccâ ut plurimùm cute, aliundè urenti: tùm facie ſæpiùs luridâ, linguâque ſiccâ & tremulâ. Ad hæc, caput afficitur dolore tenaci & inquieto, facilè abeunte in delirium obſcurum. Qui omnes dolores ſunt profundi, latè ut plurimùm extenſi, hìnc indè ſerpentes & inſuper locum ſuum mutantes, prout nempè ſerpit ac extenditur inflammatoria ſtaſis; quæ quidem à dolore ſemper incipit: ſed quæ brevi etiam tempore ſuam ſæpiùs deponit ſenſibilitatem, ſuccedente alio ſimili dolore in vicinis.

Dolores è contrà verè inflammatorii, ab horrore magis sensibili plerùmque sumentes exordium, pulsantes sunt aut gravativi vel distensivi; patientiùs tolerabiles; adusquè exteriora velut extensi; febre magis explicatâ stipati tùm sudabundâ cute: suamque demùm sedem fixam retinentes.

2°. Vires ægrotantis in inflammatione spuriâ admodùm prostratæ sunt, languente pariter animo; facilèque subrepit delirium obscurum inter hanc prostrationem, subsultibus tendinum sæpè generalibus obsitam. Dùm homo verâ inflammatione tentatus multas conservat vires corporis, ut & vigorem animi: tuncque delirio phreniticæ naturæ corripiatur, si forsan deliret.

3°. Pulsus in inflammationibus spuriis parvus est, debilis, celerrimus, quasi vacuus, facillimè evanescens sub tangente digito, paucam veluti superstitem significans vitam; simulque vigent subsultus tendinum & artuum. Dùm in veris inflammationibus pulsus durus est & sat fortis, imò quandòque fortissimus: magisque rari subsultus tendinum, minùsque generales.

His omnibus characteribus addatur alterum illud signum à Medicis clinicis adeò cognitum, nempè quòd venæ sectiones celebratæ in casu stasium inflammatoriarum putridarum summoperè debilitent ægrotantes, eorum simul exasperando dolores, & maturius accersendo delirium: dùm è contrà in casu inflammationis legitimæ, sanguinis missio ægrotantem statim recreat, viribus ejus parùm officiendo, mitigando dolores & avertendo delirii periculum.

Ex suprà dictis de diagnosi inflammationum spuriarum facile est eruere diagnosim phlegmonis & erysipelatis legitimorum. Sufficit attendere ad characteres in eorum tumorum descriptione designatos, pag. 154, agnoscendo tunc abesse prædicta signa spuriarum inflammationum. Quia verò inflammatio phlegmosa & erysi-

X 2

pelatosa mutuam quandòque patiuntur complicationem, aliasque varias: necessum est nonnulla hìc addere de signis earum complicationum diversarum, ad obtinendas speciales earum diagnoses.

1°. Nempè phlegmo quandòque erysipelatosa est, erysipelasque aliquandò phlegmonodeum. Quotiescumque nimirùm non cellularis solùm tela laxior & pinguedine magis minùsve dives inflammatur, verùm etiam pars quædam strictior membranæ vicinæ simul tentatur aliquantisper: toties dicitur adesse phlegmonem erysipelatosam, totiesque symptomata participant utramque inflammationem.

Vicissim, toties adest erysipelas phlegmonodeum, mixtis quoque utriusque affectûs signis dignoscendum, quoties pars strictæ membranæ non inflammatur sola, sed & quædam simul portio telæ cellularis vicinæ.

2°. Aliquoties etiam occurrit phlegmo œdematosa dicta, tùm erysipelas œdematosum; quandò videlicèt unà cum apparatu phlegmonis aut erysipelatis concurrit aliquantulus apparatus aqueo-pituitosus in adiposis cellulis vicinis: sicut, vice versâ, adest quandòque œdema phlegmonodeum aut erysipelatosum, quoties phlegmonis aut erysipelatis levia signa adjunguntur pastaceo cujusdam partis infarctui, vestigia pressionis retinenti; qui ipse infarctus pastaceus si solus fuerit, jam meretur simplex nomen *œdematis*, de quo fusiùs cap. 26, ubi de cachexiis.

3°. Aliquandò etiam accidit, sed rariùs, ut phlegmo & erysipelas vel externum, nonnihil gangrænosi contineat; quod sæpiùs erysipelati quam phlegmoni contingere nôrunt Practici. In utroque casu, cùm inflammatio aliquatenùs participet causam & genium inflammationis spuriæ, hujusque ideò signa quædam adjungantur communibus inflammationis veræ signis, instituenda

erit mixta quoque diagnosis, propter conjuncta signa utriusque mali.

4°. Demùm his inflammationum complicationibus adde, quòd phlegmo & erysipelas possint adhùc incidere cum ecchymosi. Quo in eventu diagnosis elicienda venit ex mixtis eorum malorum symptomatibus cum causis & symptomatibus ecchymosis, de quâ agendum erit, sectione II hujus articuli.

Quod nunc pertinet ad prognosim inflammationis cujusvis, ea quærenda est in diversis modis quibus inflammatio quælibet terminari capax est. Sunt autem hi modi numero quinque: scilicèt *Resolutio*, *Suppuratio*, *Gangræna*, *Metaptosis* seu translatio, & *Induratio*. Quæ singulæ terminationes nunc perpendendæ incumbunt, ad hoc ut ipsis medullitùs cognitis, quæsita prognosis reperiatur completissima. Sed antequàm omnia illa enucleentur per partes, non abs re erit hìc quædam prognostica subodorari generalia, tàm respectu phlegmonis erysipelatisque legitimorum quàm ergà stases inflammatorias putridulas.

1°. Dicimus stases inflammatorias putridulas ex se perquàm pronas esse sphacelosam in gangrænam certò lethalem, si malum illud nobilibus hæserit partibus; sed eas nihilominùs aliis quoque modis non raro terminari.

2°. Phlegmonem magis inclinare versùs suppurationem: erysipelas versùs resolutionem. Sed in utrâque inflammatione resolutionem esse bonam.

3°. Suppurationem quidem satis tutam ut plurimùm esse externis in partibus, exceptâ erysipelatis suppuratione quæ ad minimum tædiosa est. Sed suppurationem internis in partibus frequenter esse lethalem per se: vel saltem ratione secundarii morbi ab illâ suppuratione oriundi, quia ille in mortem sæpiùs abit; eamque in externis esse saluberrimam omnium terminationum, quandò decubitus criticus datur.

4°. Pessimam esse terminationem per gangrænam; quandòquidem ista difficillimè curatur in ipsismet partibus externis: in internis nunquàm. Ad hæc, gangræna adducit sæpè sphacelum qui in externis aliquandò quidem potest sanari per ablationem partis: sed qui mors ipsa est in internis.

5°. Delitescentiam seu subitaneam evanescentiam inflammationis, græcè *metaptosim* dictam, bonam esse si fiat versùs partem ignobilem: secùs si versùs nobiliorem; talemque terminationem in genere familiarem esse magis erysipelati quam phlegmoni.

6°. Ab induratione imminere scirrhum, difficillimè sæpiùs tollendum; qui prætereà magis pertimescendus est vel minùs pro varietate affectæ partis, tùm pro majore vel minori ejus sensibilitate: vel & pro mole, aut pro ejus propensione ad cancrum.

7°. Denique statuimus sequentia esse generaliter annotanda quoad eventus inflammationum compositarum. 1°. Phlegmonem & erysipelas invicem complicata, omninò subjecta esse prædictis generalibus prognosticis. 2°. Conjunctionem phlegmonis & erysipelatis cum œdemate, non adeò vergere ad suppurationem aut gangrænam ac mutua phlegmonis & erysipelatis compositio. 3°. Phlegmone œdemati adjunctâ constitui tumorem qui præsertim pronus sit ad scirrhosim: & qui longiorem saltem morbum faciat, quandò feliciùs persanatur. 4°. Demùm œdematosum erysipelas non tàm facilè quidem delitescere ac aliud erysipelas quodvis; at longiori semper durationi obnoxium esse.

His delibatis de naturâ & diversitatibus inflammationis, jam evolvendæ sunt singulæ illius terminationes quinque, singulis totidem paragraphis; addito post paragraphum tertium & quartum appendice; quorum prior de Carbunculo seu Anthrace:

posterior de Cancro; nempè propter affinitates prioris cùm gangrænâ: posterioris verò cum scirrhosi.

§. I.

Resolutio.

Resolutionem inflammationis fieri dicitur, quandò pars sensim liberatur humore in illâ inflammato, absquè quòd ulla vasorum contingat ruptio saltem sensibilis, nec ullum in eâdem parte aut alibi supersit inflammatoriæ materiei vestigium.

Duplex resolutio distinguitur à Medicis. Alia sine crisi: alia, cum crisi. Cujus utriusque sequentem imaginem mente concipere veritati consentaneum est.

Resolutio fit sine crisi, quandò inflammatoria materies valdè benigna aut pauca, leviterque impacta minorem propter irritationem, recuperat mobilitatem suam antequàm illa per moram degeneraverit; adeò ut redeundo ad torrentem vitæ, ibi possit legibus illius obedire absquè necessitate ullius evacuationis. Quod aliquandò ita fit, quandò incipiente inflammatione tollitur inflammatorius stimulus, ideòque non pergit augeri decubitus, minimaque ejus exordia diruuntur mediante promptâ resorptione. Sic incipiens legitima inflammatio, vel interna, per potentem venæ sectionem statim institutam edentatur & fatiscit: similiterque non raró sine crisi cedit incipiens inflammatio biliosa perineumonica, efficaci emetico quantociùs adhibito. Confer aph. 18 sect. 4.

Resolutio verò fit cum crisi quandò ipsi prævia est coctio, *pepsis* dicta apud Hellenas, ideòque contingit cum sensibili & necessariâ aliquâ evacuatione coctâ; quæ evacuatio judicatoria dicitur apud Medicos seu critica, eò quòd reipsâ decernat de sorte ægrotantis.

Secunda hæc felix terminatio inflammationis absolvitur, quoties inflammatoria materies sic subigitur ac mutatur viribus vitæ, ut induat qualitates amicas, loco deleteriarum quas jam fortè habebat antequàm decumberet, aut quas saltem acquisiverat suo in foco. Ad quam mutationem efficiendam concurrunt sequentes potentiæ. 1°. Nempè febrilis calor generalis, si adsit; sed ille imprimis qui inflammato in loco semper accenditur ab adauctis ejus oscillationibus, citiorique sanguinis transitu. 2°. Mutua reactio caustica sanas inter & morbosas materies; quo in opere videtur adeps magnas partes agere. 3°. Vicinorum vasorum oscillationes ipsæ, unà cum naturali organorum *regimine*; quatenùs scilicèt hujus beneficio accersuntur possibilia omnia consentientium partium auxilia. Qui omnes facultatis sensibilis & irritabilis agentes (naturam dicunt), externis partibus famulantur perindè ac internis: sub hâc tamen generali conditione ut adjuventur ab humiditate serosâ, quæ nec major nec nimia sit.

Mediantibus prædictis instrumentis inflammatoria materies peculiarem subit mixtionem & attritionem; vel & pars ejus magis nociva, si quæ fuerit, quoddam veluti accipit involucrum. Undè illa sic elaborata convertitur in liquorem valdè dilutum, penetrabilemque & innocuum, quin saucietur integritas vasorum in quibus illa inflammata fuerat.

Tunc temporis materies hæc docilis evadit deferri ad communem humorum oceanum, mediante facili resorptione: illaque torrente sanguinis abrepta devehitur & exportatur, haud secùs ac pulverulentæ terræ averruncantur à diluvie pluviosâ. Ea inquam exportatur & eliminatur per varias viventis corporis cloacas, pro variâ affinitate suâ cum humoribus eas cloacas frequentantibus; vel & partim ab illis cloacis immediatiùs accipitur, ut probabile apparet ex summo vicinarum partium consensu

ſenſu necnon & ex mutuorum humorum reſpectivâ communicatione ac penetrabilitate.

Prædictæ cloacæ reſolutionibus criticis obedientes, ſunt 1°. perſpirantia cutis vaſcula, reſpectu totius corporis. 2°. Via naſalis, gutturalis, auricularis, & rimæ ſphæno - maxillaris pro cerebro adjacentibuſque partibus. 3°. Via expectorationis pro regione pleuriticâ, nonnihil ſæpè vomitûs ſuccuſſionibus adjuvantibus. 4°. Via inteſtinalis pro regione peritoneâ. 5°. Via uterina pro liberando utero. 6°. Demùm via urinaria, renibus quidem liberandis proximè dicata, ſed quæ reliquo ſimul corpori viam quoque criticam offert, ſicut competit perſpirationi; quâ ratione ambæ illæ viæ ſæpiùs iiſdem criſibus promiſcuè famulantur.

Quærenti quænam ſit natura inflammatoriæ materiei poſt coctionem ejus? reſpondemus eam multùm accedere ad formam laudabilis puris de quo mox dicemus in particulari. Hæc analogia naturæ probatur ex eo quòd ſemper ſigna quædam puriformia appareant in urinis, dùm quædam criſis abſolvitur. Imò notum eſt, ea ſigna jamjam ibi ut plurimùm ſubapparere diebus aliquot antè diem quamdam ex *judicatoriis* ſeu *criticis* dictis nempè aliquâ die ex illis quæ *indicatores* vocantur. Quapropter, ex aph. 71 ſect. 4; *Quibus ſeptimo die, judicatur morbus, illis urina rubram die quarto nubeculam habet, aliaque ſigna pro ratione.* Quæ ſcilicèt urina cùm aliis ſignis *pro ratione* apparens, id eſt cùm ſignis aliis *pepaſmum* indicantibus, certò promittit *pepſim* ſeu coctionem jam potenter inchoatam eſſe. Quibus in circumſtantiis, dummodò vitæ vires ſufficientes perſtiterint, docuit obſervatio quòd brevì ſuccedat color albus ſeu purulentus ſedimenti urinarum, qualis conſtanter in urinis cernitur coctione peractâ; quâ ratione, coacâ 586 non ſolùm laudatur ſubſi-

dentia rubra urinarum, ſed & notatur celerem quoque judicationem ab albis urinarum ſubſidentiis deſignari.

Actio illa concoquens & efficiendæ reſolutioni criticæ neceſſaria, quam naturâ ſuâ ſuppurationi valdè analogam dicimus, multò blandior eſt quàm ſuppuratio. Nequaquàm enim ab illâ deſtruuntur tenuiores cellularis textûs laminæ, ſicut nec vaſa in quibus exercebatur inflammatorius ſanguinis tranſitus: dùm ſuppuratio contrarium importat. Quæ differentia ſanè maxima eſt.

Hìnc luculenter apparet cur reſolutio cùm criſi fauſtiſſimum ſemper eventum adducat, dummodò fiat cùm ſufficientibus coctionis ſignis. Alioqui enim morbus morte terminaretur, vel altero morbo. *Quæcumque abſquè judicationis ſignificatione diſparent*, inquit Hippocrates, lib. 2 de morb. vulgar. ſect. 3, *malè denunciant*, *velut in eryſipelate quod Polemarchi ancillæ contigit*, *videre ſatis licuit.* Jamque paulò ſuprà dixerat: *quæ* . . . . . *præmaturam judicationem dùm cruda ſunt omnia occupant*, *morborum recidivas convehunt & ſolutionem omninò malam*, *aut propè nullam portendunt.* Nec unquàm mendax fuit illud effatum.

His ſignis bonæ coctionis reſolutionem fauſtam renunciantibus adde, quòd aliqua poſthàc debeat fieri evacuatio materiei coctæ cujuſdam, ſeu per cloacam particularem, ſeu per generalem. Cui evacuationi quocumque modo officere nefas foret, ex aph. 21 ſect. 1; quia nempè ſic cohibitâ expulſione integrâ materiei coctæ, ea forſan ita fatigaret focum ſuum ut hujus perfecta non ſervaretur integritas; vel & indè oriretur diſpoſitio ad ſimile malum, aut ad aliud. Eâ enim de causâ ſæpè ſuperſtites manent quædam reliquiæ poſt judicationem, à quibus recidivæ creari ſolent, ex aph. 12 ſect. 2; Verumtamen, *quæ judicantur aut judicata ſunt perfectè*, *ea neque moveto*, *neque medicamentis*, *neque aliis irritamentis innovato*, *ſed ſinito*, ſicut præcipitur aph. 20, ſect. 1.

Limitatur autem tempus intrà quod abſolvi congruit illa inflammationis reſolutio, illudque quatuordecim dierum eſſe ergà morbos acutos ſtatuitur aph. 23 ſect. 2, non excluſis tamen judicationibus infrà dies ſeptem aliquandò accidentibus, ſicut nec illis quæ aliis decretoriis ab hìnc diebus uſquè ad vigeſimum accidunt & ultrà. Sed ergà pleuriticos morbos duratio hæc neceſſariò eſt dierum ad ſummum quatuordecim, per quos debent & reſolvi & per ſputa purgari. Alioquì malum in ſuppurationem vertitur, ex aph. 8 ſect. 5.

Hæc ſufficiant de reſolutione inflammationis. Nunc ad ſuppurationem veniamus.

§. II.

Suppuratio.

SUPPURATIO vocatur converſio materiei inflammatoriæ in pus, ſeu mutatio decubitûs inflammatorii in abſceſſum.

Converſio hæc fit quandò inflammatoria materies forſan nimis copioſa aut ſpiſſior, vel aliundè reſolvi impotens, ſedem ſuam nimioperè excitat, viciſſimque ab iſtâ validiùs agitur. Tunc enim materies illa neceſſariò corripitur inflammatione potentiori, quia vividioribus verberatur oſcillationibus, atque intimiùs promovetur. Quibus ita accidentibus, neceſſum quoque eſt fieri magis diſtinctum hunc ſenſum pulſationis quem ſanguis pulſante motu actus excitat, arietando contrà vaſcula tunc magis depreſſa ab humore inflammatorio, qui magis expanſus eſt propter majorem ſuum calorem.

Non mirum igitur ſi, contingente ſuppuratione, ſenſibile percipiatur augmentum ſymptomatum: nempè tumoris, caloris, ruboris, necnon doloris qui tunc valdè pulſans deprehenditur, majore ſimul factâ febre concomitante. Ideòque *dolores & febres*

contingunt magis circà puris generationem, quàm eo confecto, ex aph. 47 sect. 2; quibus paucis verbis designatur naturalis epocha puris jamjam futuri, sicut & puris jam confecti. Quæ non solùm vera est respectu inflammationum acutarum de quibus loquimur: verùm etiam respectu chronicæ inflammationis illius quâ sensim corripiuntur aliquandò tumores ipsi strumosi, aliique frigidi dicti, antequàm in peculiarem solutionem abeant purulentam sibi ipsis propriam.

In prædictâ humoris inflammatorii conversione, non ea duntaxat omnia contingunt quæ mox docebamus fieri in humore simili, dùm ad resolutionem pararetur. Sed, mediante adminiculo earumdem potentiarum efficaciùs agentium, cellulæ ipsæmet adiposæ, ut & adeps, tùm vascula vicina quæ in promiscuo habebant inflammationem, præterà patiuntur peculiarem dissolutionem; quatenùs nempè ea omnia promiscuè detrita, mixta, penetrata, involuta & subacta abeunt in pus: in hunc inquam humorem singularem, blandum, album, inodorum, subpinguem, æqualem & aquâ specificè graviorem, qui suâ in mixtione recondit omnia veluti rudera prædictorum organorum & humorum.

Consequenter, peracto suppurationis opere, remanet cavitas pure plena, loco decubitûs inflammatorii ut dictum est detriti: dùm ibidem nihil non integrum forsan superest, bonâ resolutione absolutâ. Haud aliter ignis qui manducandas carnes duntaxat coquit vulgari in ollâ, ossibus intactis: easdem carnes Papinianâ in machinâ multò potentiori dissolvit penitùs, ipsis simul ossibus emollitis, partimque solutis: illeque easdem concremaret, si ipsi liceret immediatum per contactum. Ex quâ comparatione intelligendum venit, quomodò liquor ille pus dictus, confectus à naturâ victrice beneficio inflammatorii ignis,

differat ab illâ sanie purulentâ, acri, rodente, variegatâ, fluxiliori ac fetente : quæ, quasi per concremationem humorum, fabricatur ab igne inflammatorio ardentiori ; quandò nempè natura huic igni resistere impar, ipsi proindè nequit congruum impertiri modum.

Quantùmvis verò perfecta suppuratio eveniat, ea totum sæpè decubitum non omninò dissolvit, sed aliquam in ejus circumferentiâ relinquit portionem posthàc suppuraturam aut resolvendam. Hoc præsertim fit in inflammationibus mali moris, quales sunt strumosæ ; tùm in aliis quæ sæpè pravum induunt characterem propter nimias venæ sectiones, aut incongruorum topicorum applicationem. Quibus in casibus aliquod residuum quandòque remanet, capax schirrosam contrahere naturam aut alteram deindè similem advocare inflammationem ; vel & quod sensim in sanguinem possit resorberi, varios posteà metastaticos effectus producturum.

Sed quod mirabile! peractâ, uti dictum est, suppuratione integrâ, omnia mitescunt symptomata quæ accidente suppuratione sæviebant ; tuncque præterea, si factum fuerit pus blandum & laudabile, quale suprà descriptum fuit : illud remanet aliquandiù conclusum in foco suo, ubi circumvallatur à partibus ambientibus vitali suo nisu resistentibus adversùs ulteriorem suppurationem. Undè, si purulentus ille focus non aperiatur longiorem post moram, non datur magna occasio paulatinæ vicinarum partium suppurationi ; adeò ut pus prædicto modo confectum atque collectum, aliquandiù fermè innocuum stagnet in parte suppurationem passâ.

Sed contrariâ in suppositione, in casu videlicèt puris saniosi & pravi, aliter se res habet. Nec alibi quærendum est cur & quandò suppuratis in partibus accidant erosiones variæ, aut

effodiantur varii ſinus illi cuniculoſi, gallicè dicti *des fuſées*. Quinimò attendenti quoque patebit, cur ea detrimenta præprimis fiant versùs partes teneriores ac decliviores, ſicut optimè nòrunt periti Chirurgi; neque etiam latebit via & ſucceſſiva progreſſio purulentarum emigrationum quæ de proximo in proximum obtingunt, imò & quandòque ex unâ cellularis textûs regione in aliam.

Ad hæc, eodem ipſo proceſſu quo natura mechanicè producit prædictas eroſiones, ea continuò molitur ſpontaneam aperturam abſceſsûs facti; ſicque illa tentandam attento artifici viam indicat. Quinimò mechanicum illud molimen, ſeu tacita naturæ machinatio, pæſertim inſtituitur circà locum minùs reſiſtentem; eâque ratione citior contingit formati effuſio puris, quandò illud ex artis induſtriâ non evacuatur. Conſequènter ſuppuratio reapsè ſpectanda eſt veluti quoddam vitæ inſtrumentum, quo natura diligens utitur ad evellendos humores nocuos alicubi hærentes, ſicut & corpora ipſa peregrina fortuito caſu accepta.

Ex hoc benefico ſuppurationis benignæ genio haud difficulter reſolvere eſt, quòd illa externis in partibus feliciſſimam plerùmque ſanationem promittat; imo quòd ipſimet reſolutioni ſæpiſſimè anteponenda cenſeatur, quandò nimirùm aliquod latet peregrinum corpus, aliquodve doloſum miaſma, ſeu contagioſum ſeu criticum.

Verùm aliter cenſendum eſt de ſuppuratione viſcera occupanti, ſicut & de illâ quæ altis in carnium receſſibus lateſcit; hæc enim ſæpè ſæpiùs funeſta eſt propter conſequentias ſuas: altera ferè ſemper lethalis.

Alicujus itaquè viſceris ſuppuratio ſingulares primùm ſæpè adducit leipothymias periculoſas ubi jam rumpuntur clauſtra ejus, ex aph. 8 ſect. 7; eaque etiam certam inducit mortem,

nisi felici naturæ curatricis nisu superveniat integra puris purgatio per locum ad hanc expulsionem aptum; nisique purgatio hæc certo quodam absolvatur temporis lapsu, qui est dierum quadraginta ex quo ruptio facta est in pleuritibus suppuratis, ex aph. 15 sect. 5. Verùm enim verò, aliis in visceribus suppuratis, ea purgatio non adeò feliciter absolvi licet ob defectum dispositionis æquè idoneæ ad perfectam puris evacuationem; eâque ratione, ægrotantes ita affecti sat citò sæpiùs intereunt, vel ad minimum tabidâ lentâque morte moriuntur. Qui & eventus adhuc certior, ubi ex purulento foco diutiùs recondito tandem educitur graveolens amurca loco puris albi & boni, sicut generali dogmate traditur, aph. 43 sect. 7: specialiter verò de suppurato jecinore, aph. 44 sectionis ejusdem.

Quoad suppurationem quæ suî indicia non dedit, eò quòd latuerit profundis sub carnibus aut produxerit pus nimis spissum, de quâ aph. 41 sect. 6, ea quoque suos patitur manes. Varia siquidem ex illâ suboriri mala solent, qualia sunt abditissimi cuniculi, conversio puris in saniem, ossium denudationes cariesve, tùm purulentæ metastases, præter febres admodùm chronicas & periculosas.

Hæ sunt essentiales considerationes circà suppurationis theoriam & genium. Sed operæprecium duximus hìc etiam memorare suppurationem gravibus vulneribus necessariam; sicut & illam quæ circumcidendis partibus sphacelatis famulatur, ut & escarrhis quibuscumque. Dicemus deindè quomodò sit intelligenda carnium regeneratio.

Quoad suppurationem vulnerum, ita illam fieri concipimus. Quandò partis alicujus simplex tantùm divisio facta est ab instrumento optimè secante, si labra vulneris probè mundati ad se approximentur, eaque contineantur sic ut pars disposita sit

velut antè vulnerationem; tunc ſimplex illud vulnus ſat citò concreſcit ſolius naturæ artificio, abſquè ſuppuratione valdè ſpectabili; nam tunc nonnullum dumtaxat ros lymphaticum exindè emittitur. Ubi verò gravi vulnere ſauciatæ ſunt partes ab inſtrumento imprimis contundente: tùm ubi facta eſt aliqua deperditio carnium: tunc ſanatio non obtinetur ſine auxilio ſuppurationis; quæ eò copioſior erit & durabilior, quò major carnium deperditio fuerit & quò major fortè contuſio: præter alia permulta quæ vulneribus adjungi poſſunt impedimenta, de quibus hìc non agendum.

Hæc vulnerum ſuppuratio (ut & ea quæ ſphacelos & eſcharras educit) hoc modo intelligitur fieri, illiuſque effectus ſunt ſequentes. Nempè ubi pars quædam ſphacelo vel eſcharrâ afficitur, tunc utrumque (peregrini corporis ad inſtar), inimicum evadit vicinæ ſenſibilitati & irritabilitati, atque ideò vices gerit perennis cujuſdam mechanici ſtimuli (ſeu illum ſtimulum præſtet pondere ſuo vel duritie, ſeu quâdam pravâ aut virulentâ qualitate), cujus ope inflammatio excitatur, neceſſariò ſuppuratura. Similiterque, ubi vulneratæ carnes paululùm aruerunt ob effuſionem roris lymphatici quod vulneris labra undiquè plorant, expulſo priùs eorum ſanguine: in iis ſubnaſcitur irritatio perindè inflammatoria, per quam ſuppuratio, æquè neceſſaria ac inevitabilis mechanicè accerſitur, ſicut in caſu ſphaceli aut eſcharræ.

Vulnerata nimirùm pars, ob inanitatem ſuam *aliquantulùm reſiccatur & incaleſcit*, ſicque vicinas exſtimulat partes, ſicut illam ſuo quoque modo irritat & ſphacelus & eſcharra. In his porrò circumſtantiis partes illæ ſic irritatæ, *ex vicinis, tùm venis, tùm carnibus humiditatem ad ſe trahunt* (ut verbis Hippocratis utar), *cùmque attraxerunt, intumeſcunt & inflammantur.*

Ex

Eæ ſiquidem partes pleniùs ob hanc cauſam onerantur ac diſtenduntur à ſanguine appellente; & conſequenter ſenſibilitas loci ut & irritabilitas, potentiùs impelluntur ad agendum. Verùm enim actio illa nequit major exiſtere, quin localis ſanguis cogatur citiùs hàc tranſire, fortiorem ſimul experiendo quaſſationem; quorum ſanè effectu, quædam portio ſanguinis illius vicinas in cellulas exprimatur neceſſe ſit, ſicut ad inflammationem ciendam requiſitum eſſe ſuprà docebamus.

Si quis nunc quæſierit cur ea eſcharræ aut ſphaceli circumdata inflammatio neceſſariam obtineat ſuppurationem, ſicut & inflammatio vulneri accidens? reſponſio facilis eſt. Cùm nempè, irrito apparatu inflammatorio tunc præſenti, impoſſibile ſit ſphacelum ut & eſcarrham reviviſcere beneficio reſolutionis, aut ſuppurationis: quia ſcilicèt vita in iis abolita eſt; & cùm pariter nequeant vulneris labra ferruminari, eò quòd ea ſemper ſint plus minùſve contuſa, lacera vel detrita, atque ideò in iiſdem vita penè ſit deſtructa; nemo attentus non reſolvet lubens, ſuppurationem tunc inevitabilem ac neceſſariam eſſe.

Quandiù nimirùm prædicta adſunt impedimenta ab eſcharris aut vulneribus oblata, tandiù ſubeſt continuus inflammationis ſtimulus, quo mediante indeſinens quoque inflammatio fovetur, continuò deinceps perennatura, dummodò vitæ valeant vires, nihilque ex parte medicationis obſtiterit. Quæ igitur inflammatio, ſic reproducta ac perennis, viget quouſquè ea tandem in ſuppuratum abeat & quidem neceſſariò, quoniàm ea reſolvi omninò indocilis ac impotens eſt. Non alio enim præter ſuppurationem pacto, aſſignata ſinunt ſe depelli impedimenta; exindèque patet cur nulla eſcarrha nulluſque ſphacelus tolli poſſit, ſicut nec vulnus perſanari ullum, ſine auxilio ſuppurationis.

Ex prælibatis ratiociniis alia practica consecutio haud operosè deducitur. Nempè malum ingens imminere, quandò nullus inflammatorius creatur calor in circumferentiâ sphaceli aut escarrhæ, sicut nec in vulneribus. Undè illucet ratio cur, ex aph. 66 sect. 5, *si, magnis & parvis vulneribus, tumor non conspiciatur, ingens malum.* Quia videlicèt ibi pariter deest vitalis ille apparatus necessariæ suppurationis, quâ mediante rescindatur id quod ex vulnerum labris sublucandum atque exstirpandum est, ad hoc ut disponantur ad cicatricem suscipiendam. Talis namque dispositio non pendet solùm ex prædictâ solidarum aliquot laciniarum detersione; sed & in eo præprimis consistit, quòd mediante vulnerum suppuratione eorumdem labra sensim veluti exhausta deprimantur, nonnihilque tabescant; quam ob causam ea fundo vulneris proximiora evadant, minorem hoc pacto superficiem oblatura faciendæ cicatrici.

Quod hìc dicimus de ulceribus externis, illud idem intelligendum de internis. Nec aliâ ratione observatur empyicos curari nullos, nisi transitoriam experiendo emaciationem, quæ fit dùm ii congrua per loca purgantur; indèque patet veteres Medicos rationabili consilio admisisse balsama, plantasque extractivo-resinosas, numero pharmacorum generandæ cicatrici faventium.

Sed ut redeamus ad examen tumoris calidi vulneribus tàm necessarii, de quo agitur aphorismo citato: admonere convenit eos non semper advocandæ suppurationi idoneos enasci in vulneribus. Sæpè siquidem contrarium evenit; seu propter majorem contusionem; seu propter pravam vulnerati idiosyncrasiam; seu demùm, propter incongruam administrationem pharmacorum, tùm externorum cùm internorum.

Vulneribus autem magnis & parvis accidente tumore pravo, indè fit sæpè ut nulla suppuratio vel difficillima duntaxat

oriatur, eaque ſpuria & ſanioſa, potiùs eroſioni creandæ idonea quàm ad cicatricem invitandam. Undè operæprecium eſt cognoſcere in vulneribus, perindè ac in cæteris inflammationibus quibuſvis, quinam ſint tumores boni, quinam mali. Hanc porrò diagnoſim ſolitâ brevitate ſuâ Hippocrates tradidit dicens aph. 67 ſect. 5, *molles tumores boni, at crudi mali.* Crudi ſiquidem tumores ſeu duriores, nec aptè concalefacti, omninò inhabiles ſunt ad ſuſcipiendam ſuppurationem tunc temporis neceſſariam, ſicut nec ad reſolutionem; ideòque tumores illi potiùs valent gangrænam invehere in caſu vulneris, aut ipſam indurationem vel ſuppurationem pravam: ſicut iiſdem de cauſis nocerent cuilibet inflammato decubitui ſpontaneo. Quinimò ii tumores vulneribus accidentes debent ad certum tempus eſſe conſtantes, ad hoc ut materies ibi depoſita elaborari valeat, nullaque funeſta ſuperveniat metaſtaſis. *Quibus à vulneribus tumores conſpiciuntur, ii non maximè convelluntur, nequè inſaniunt. At iis derepentè evaneſcentibus, iis quidem, quibus à tergo ulcera fuerunt, convulſiones & tetani fiunt. Quibus verò in anteriori parte, inſania, aut lateris dolor acutus, aut puris collectio accidet, aut dyſenteria, ſi tumores fuerint rubri.* Quæ documenta aphoriſmi 65 ſect. 5, quoad majorem ſaltem partem quotidiano firmantur eventu.

Quod nunc ſpectat carnium regenerationem quæ blando ſub pure patrari vulgò traditur, ea forſan valdè dubia eſt, vel ſaltem æſtimata criterio minimè accurato. Quantùm mihi obſervare licuit dùm chirurgicis rebus operam dedi, illud vitæ officium ſequenti modo abſolvi mihi apparuit; nempè quòd, dùm labra vulneris putantur minùs ſpiſſa fieri, vel & ulcus minùs profundum, ea certè non contingant quia carnes novæ fundum ulceris adimpleverunt: ſed rem potiùs ita apparere intuenti, eò quòd (exhauſto cellulari textu vicino per ſuppurationem)

tenuiores duntaxat fiant limbi ulceris, quia macrefcunt; adeò ut ulcus videatur carnibus novis repletum, dùm tamen mutatio ejus profunditatis non aliundè procedit, quàm à fubfidentiâ ejufdem limborum. Haud alio pacto, ut opinor, veluti complanatur ulcus quodlibet antequàm cute obtegatur; neque aliundè trahenda videtur depreffio magis vel minùs fenfibilis, quæ deprehenditur in cicatrice ulceris fuperficiarii aut profundioris; exindèque patet cur vulnera profundiora tàm difficilè perveniant ad cicatricem, quandò illa debitam per artem congruè non fuerunt dilatata.

Exindè quoque æftimare licet maximam hanc cicatricis difficultatem, quæ propria eft ulceribus magis cavis, præfertim quandò ea circà fundum fuum rotundata funt. Tunc enim, non folùm major deperditio carnium impedit quominùs fundum ulceris tàm citò adæquetur fuperficiei cutis, irritâ fubfidentiâ labrorum ejufdem: fed & figura hæc circularis ulceris vetat mutuam renafcentis utrinquè cutis interftructionem & agglutinationem. Certum enim eft, eam junctionem multò faciliùs citiùfque perfectum iri oblongo in ulcere, quia in hoc fermè ubiquè eft æqualis diftantia parietum, fermèque ad punctum redacta in illius fundo.

Allatis rationibus addatur illa quæ ex puris ftagnatione deducitur: nempè quòd pus, ftagnatione fuâ in ulcere profundiori, neceffariò abeat in faniem quæ fic erodat carnes, eafve callofas faciat, ut ulcus longas quandòque per moras refpuat cicatricem. Neque ftupendum in eâ difficili fanatione. Tunc namque cicatrix enafci nequit, antequàm area ulceris amplificata fuerit beneficio ipfiufmet erofionis, ad hoc ut ulcus minùs aptum evadat retinendo puri, ceffentque ab illo labefactari carnes. Tunc itaquè ulcus naturali hoc artificio minùs profundum apparet

respectivè ad latitudinem suam; factæque ideò meliores ejus carnes putantur repullulavisse. Sed re attentiùs perspectâ apparebit, ulcus lento duntaxat passu amplificatum & mundatum, suo quadamtenùs æquatum fuisse solo, satisque vivas evasisse carnes ut cicatricem admittere queant.

Sed tunc necessum est cicatrices eas coriaceas durasque esse, imò & valdè cavas, præter mala quæ ex ulcere antiquo impendebant suppositis partibus. *Ulcera* enim *annua quæcumque fiunt, aut longius tempus detinent, in iis os abscedere est necesse, & cicatrices cavas fieri*, ex aph. 45 sect. 6: neque abstrusa ratio est. Nàm ex dictis jam patuit origo fœditatis & cavitatis cicatricum antiquis ulceribus advenientium; prætereàque facile advertere est, quòd his in casibus sanies sensim valeat vicinorum ossium tenuissimam absumere pellem, atque ita immediatis tandem morsibus suis scalpere ipsammet ossium substantiam; quæ ideò cariem contrahit magis vel minùs gravem, pro quantitate ossis quæ sphacelosa fit ob mortem vasis suis nutricibus illatam.

Præter allata optandarum cicatricum discrimina, supersunt alia benè plura quibus ulcera quandòque etiam veluti æternantur. Talia sunt, 1°. peregrinum quoddam corpus in vulneribus ulceribusque relictum. 2°. Præpostera membri affecti positio aut deligatio. 3°. Turgentia leucophlegmatica textûs cellulosi, sicut de hydropicorum ulceribus optimè monetur aph. 8 sect. 6. 5°. Deniquè diæta malè ordinata, præcipuè si ea justò tenuior sit; quod enim mali contingit à diætâ, id gravius fit in tenui quàm in paulò pleniore victûs ratione, ex aph. 5 sect. 1. Sed cùm ista ad praxim præprimìs chirurgicam pertineant, diutiùs in eis non immorabimur.

Gratiâ ordinis suscepti, hìc exponenda foret prognosis suppurationis. Verùm nè crambem recoquere videamur, ea pu-

tamus satis esse quæ superiùs dicta fuerunt varios suppurationis eventus enucleando. Nunc deveniendum ad medicam gangrænæ theoriam.

§. III.

GANGRÆNA.

GANGRÆNA vel mortificatio vocatur ea inflammatæ partis affectio, quæ pendet ab intercepto sanguinis fluxu per arterias & venas illius, sufflaminato simul ejusdem partis sensu & motu.

Si gangræna diutiùs perennet, adeò ut non solùm affectâ in parte cessaverit sensus & circulatio, verùm etiam restitui jam ibidem nequeat quæcumque solidorum actio, propter incœptam destructionem eorum simul & humorum sistitorum: superstite tamen vitâ reliquis in partibus; hic status audit nomine sphaceli, qui proindè spectandus est tanquàm gradus gangrænæ maximus.

Inflammatio quæcumque spontanea, ut & ea quæ vulneribus propria est, gangrænâ potest terminari seu morte partis. Hoc contingit quandò extravasatio, irritatio, tumor, rubor, dolor, calor, pulsatio tàm magna sunt: vel & humor hærens adeò tenax & acer: aut pars adeò lacera, contusave & atona: ut sensibilitas atque irritabilitas tandem fatiscant in parte inflammatâ. Tunc namque ibidem cessante omni actione, sanguis cogitur & quiescit in eâ parte, quæ ideò verâ obstructione mortiferâ tentatur; cessante ibidem rubore, calore & pulsationis sensu: quandòquidem ea pendebant à motu vitali & sensibilitate, quæ tunc absunt.

Quòd si prædictus aggravetur status, accidit ultimus gradus gangrænæ, sphacelus dictus, qui est ipsissima gangrænatæ partis corruptio, sicut statutum est in ejus descriptione.

Sæpè gangræna, ut & sphacelus, spontè superaccidit ob

pravum ſpontaneum ſtatum partis inflammatæ, vulneratæ, aut contuſæ ſuprà deſignatum, & ex quo mors ejus advenit. Sed & heu! ſæpiſſimè mortifera hæc terminatio invitatur mediante præpoſterâ tractatione; ſive hæc erraverit in deligationibus & inciſionibus; tùm in peregrinorum corporum neglectu aut imperitis eorum extractionibus; ſive in adhibitione topicorum maligniter repercutientium aut nimioperè relaxantium; ſive demùm in adminiſtratione auxiliorum internorum, necnon venæ ſectionis ipſius.

Factâ gangrænæ conſideratione ab ejus initio uſquè ad ſphacelum imminentem, ſigna ejus hæc ſunt: 1°. Sublatio ſignorum inflammatoriorum, abſentibus ſimul ſignis reſolutionis; 2°. integra ſensûs & motûs ablatio in parte affectâ, cujus pondus adauctum patienti videtur; 3°. color partis, anteà valdè ruber, nunc verò fuſcus, lividus, imò & nigricans; 4°. deniquè mollities, frigus & flacciditas partis veluti œdematoſæ factæ, ſæpèque puſtulis refertæ variis: quibus ſignis prædictis perfecta deſignatur gangræna, jamque ideò imminere ſphacelum.

Signa ſphaceli jam præſentis primò igitur complecti debent ſigna perfectæ gangrænæ. Sed præter integram ablationem ſensûs & motûs partis ejuſque colorem fuſcum & ſubnigrum, tùm præter frigus & mollitiem: datur ibidem ſeparabilitas cutis, necnon cadaveroſus fetor, corruptioque omnia depaſcens aduſquè oſſa: aliquandò contingente mirabili ſiccitate partis, penè ſicut in aſſervatis Ægyptiorum medicatis corporibus. At verò d m hæc omnia ſuccedunt inflammatæ parti, ſuboritur tandem in ejus vicinitate inflammatorius dolor novus, ſi vires vitæ valeant: qui excitatur propter novam irritationem à ſphacelo illatam, ſicut fieri obſervavimus, ubi de ſuppuratione ſub eſcarrhis naſcente.

Diagnosis gangrænæ & sphaceli facilè eruitur ex prædictis eorum descriptionibus. Quod verò spectat eorumdem prognosim, ea varia est pro varietate sedis & causarum, tùm pro vario gradu & extensione utriusque mali. In genere ipsa gangræna pessima est quidem, sed sphacelus multò pejor. Quod ut intelligatur, necessum est de utroque statu paulò fusiùs disserere.

Gangrænam sphacelo minùs funestam esse probatur ex sequentibus. Cùm nempè illa nullam aliam adhuc supponat inflammatâ in parte mutationem, præter suspensionem vitalis motûs sensûsque sicut & symptomatum ab illis facultatibus pendentium: non adhc impossibile est hunc motum restitui simul & sensum, dummodò gangræna fuerit recens, minùs gravis, ejusque causa docilis debellari. Tunc itaquè gangrænosa pars de integro fermè liberari potest, seu beneficio resolutionis cùm crisi, seu auxilio bonæ suppurationis, de quibus suprà egimus.

Sphacelus è contrà multò pejor. Præter apparatum gangrænosum, humores & solida loci affecti jam incipiunt intimè corrumpi, ipsis non exceptis ossibus; ideòque debellari nequit sphacelus quin omninò separetur à vivis illud totum quod emortuum ac corruptum est: non parcendo ossibus ipsismet. *Ex syderatione* (id est ex sphacelo), *os obscedit*, inquit Hippocrates aph. 79 sect. 7, optimè gnarus vitam ossium pendere à vitâ carnium; neque proindè ignorans, imò & ibi præcisè indicans portionem sphacelati ossis necessariò separandam esse à vivâ, quia funditùs corrupta est perindè ac carnes, atque ita vitæ novæ pariter impotens.

Prædicta sphacelatæ partis separatio à vivis, etiam in osse adducitur mediante illâ inflammatione statim velut lineari, quæ sphacelum mechanicè circumdat ut & escarrhas; hicque felix eventus procedit ex eo quòd necessaria illa inflammatio suppurationem

purationem quoquè neceſſariam contrahat, propter rationes recenſitas ubi de ſuppuratione. Quinimò ſola hæc ſpontanea ſeparatio ipſamet oſſa reſcindit cum integro artu ſi ſphacelus ſoli naturæ auferendus committatur, ſicut fieri congruum eſt in certâ gangrænæ ſpecie de quâ mox pauca erimus dicturi. Cui ſaltem ſphacelo ſeparando perita manus non audet opitulari, niſi quandò ſeparatio naturalis jam penè abſoluta eſt, & cùm cautelis ibidem infrà referendis.

Sed cùm agitur de vulgari ſphacelo vulgaribus inflammationibus externis accidente, ubi primùm limites ejus apertè videntur indicari, quantociùs induſtria amputatio ejus facienda incumbit. Quâ mediante arte ægrotans ſervatur, dummodò vires ejus valeant fovere ſuppurationem obtinendæ ſanationi neceſſariam. Undè iterùm planum eſt, quantùm ſphacelus pejor ſit gangrænâ, & quarè internis in partibus nullâ vi naturæ vel artis ille ſanari ſeſe permittat.

Nunc memorandæ ſuperſunt peculiares aliæ gangrænæ, ſanè priori ſimiles quoad eſſentiam, ſed ortu & progreſſu non parùm diſcrepantes. 1°. Occurrit ſphaceloſa illa gangræna quæ ab adurente frigore producitur. 2°. Gangrænæ oriundæ ex applicatione & inſertione quorumdam venenorum. 3°. Deniquè ea gangræna quæ ſuam trahit originem à ſingulari ipſorummet animalium humorum qualitate, vices gerente inquilini cujuſdam veneni.

Gangrænæ per frigus inuſtæ, talis eſt effigies, progreſſio & diagnoſis. Statim pallor oritur à frigore, & deinceps rubedo quam comitatur punctorius dolor va dè moleſtus vel & pruritus ingens; quibus gangræna præſens indicatur. Hâc verò protractâ, adaugetur partis rubedo eaque ſæpè ſaturatiſſima evadit: ſuccedente poſthàc nigritudine monſtranti adeſſe ſphacelum ad oſſa uſquè.

Ad gangrænas ex veneno peregrino ſubortas pertinent illæ

gangrænæ magis vel minùs graves quæ contingunt ob acci-dentalem quarumdam venenatarum ſqualidarumve rerum appli-cationem, & quæ majorem minoremve exſtirpationem expoſcunt, cùm majore vel minori vitæ periculo. Talis eſt gangræna quæ ſpectatur in carbunculo à quâlibet causâ orto, de quo mox dicturi; tùm illæ quas advocant variarum beſtiolarum venenati morſus, quorum enumerationi brevior hæc pagina non ſufficeret; præſertim, ſi per tempus & ſat numeroſas obſervationes liceret id quodcumque à veritate ſecernere quod fabuloſum eſt; ſicut factum eſt à ſagaciſſimo Abbate Fontana, reſpectu morsûs viperini. Ille enim imperterritus periculoſorum experimentorum obſervator demonſtravit, quòd ille quidem latex flavus, qui per canaliculum dentis viperini inſtillatur in vulnus tempore morsûs viperæ, venenatam vim obtineret in omnibus animantibus calido ſanguine donatis; ea nempè animantia omnia & ſingula ab hinc laborare mirabili morbo naturæ nonnihil gangrænoſæ, demorsâ in parte præſertim ſævienti, phyſicamque vitam magis vel minùs perturbanti. Sed ſimul compertum fecit laudatus Vir quòd, quamvis ab hoc morbo certiſſimè occiderentur aviculæ omnes tùm juniores columbæ & cuniculi, jam non interirent cuniculi adulti ſicut nec moloſſi canes, cæteraque grandiora animantia. Proindèque iiſdem experimentis planum atque inconcuſſum re-manſit, animantia viperino veneno ſuperiora eſſe prout illa majori corporis mole gauderent: exceptis tamen felibus, quarum robuſta ferocitas tàm abundè ſupplet molem corporis, ut felis una irritos faciat morſus trium viperarum iratis dentibus illam arripientium.

Gangrænæ demùm quæ ſphaceloſam humorum inquilinorum naturam agnoſcunt pro causâ, ſunt gangrænæ illæ ſiccæ & peſ-ſimæ quas ſolemne eſt præſertim oriri ex uſu ſecalis cornuti,

gallicè dicti *seigle à ergots*; tùm aliæ ferè similes, aut naturæ humidæ, quæ præprimìs nascuntur apud senes debiles & segnes: seu abusu epularum opipararum: seu propter sanguinis eorum acrimoniam; tùm deniquè gangrænæ illæ singulares quæ quandòque scaturiunt ab aliquibus causis valdè extraordinariis ac pestilentibus, quas referre licet ad carbunculum, de quo agemus appendice infrà annexo.

Quod spectat imaginem earum portentosarum gangrænarum, sufficiat brevis hæc notitia, cujus ope distingui possint à gangrænis vulgaribus quæ partes primitùs inflammatas aggrediuntur. Gangræna sicca sæpiùs statim prodit signa perfecti sphaceli quo digiti pedum quàmprimùm occupantur, membrumque deinceps integrum; eaque ab ipsis sæpiùs initiis maximam inducit corporis debilitatem, nullâ unquàm prægressâ inflammatione. Illæ verò quæ naturæ humidæ sunt, incipiunt plerùmque à tumore flaccido & variegato qui brevì dat signa perfectæ gangrænæ, pulsu quandòque haud mutato.

Quod spectat prognosim prædictarum gangrænarum portentosarum, sciendum est 1°. gangrænas siccas minimè sanari posse nisi beneficio separationis mortui à vivo, haud secùs ac sphaceli ex inflammatione oriundi; quia illæ naturâ suâ sphacelosæ sunt. 2°. Idem censendum esse de gangrænis humidis, quandò evadunt perfectæ & ad sphacelum evehuntur. 3°. Demùm pariter terminari gangrænam à frigore ortam, si adusquè sphacelum processerit; sed eam sanari & partem affectam sat citò restitui, simodò primis sub initiis congruè tractetur: applicatâ scilicèt aquâ congelationi proximâ, deindèque purâ ipsâmet nive.

Sed advertendum separationem gangrænarum siccarum soli naturæ committendam esse, ut jam diximus; proindèque illam ferro nusquàm tentandam: nisi fortè peritâ tandem manu opus naturæ,

moxmox absolvendum, sic queat ad exitum paulò citiorem per-duci. Nam observare est 1°. quòd hujus gangrænæ terminus nequaquàm cognosci possit nisi beneficio circuli inflammatorii; 2°. quòd in amputatione naturali, sæpè ossa separentur altiori ex loco quàm ille in quo membrum artificialiter secari liceret. De hâc re consuli meretur egregius Tractatus de gangrænâ, Auctore Medico Quesnay. *Paris* 1749. *in-12*.

Appendix de carbunculo.

Carbunculus seu anthrax, gallicè *le Charbon*, est peculiaris tumor de genere inflammatorio qui optimè describitur apud Celsum, lib. 5, cap. 8. Sed in hoc differt ab inflammatione vulgari, quòd ille nullatenùs resolvatur unquàm neque suppuretur, semper verò sphacelosam abeat in escarrham, cui evellendæ circumnascens famulatur suppuratio.

Anthrax seu carbunculus est tumor circumscriptus, depressus, ruber, renitens admodùm, initio pruriginosus, deindè verò perquàm dolens, calore ut plurimùm intenso stipatus, escarrham in parte faciens: cùm vesiculis in ejus apice tandem accidentibus, quibus apertis nigredo sphacelosa subtùs latens referatur.

Terribile malum illud producitur à causâ externâ vel ab internâ. Fit ab internâ causâ quandò febrile aliquod deleterium miasma impetu quodam critico aut symptomatico exploditur ad aliquem cutis locum, in quo sensibilem inurit escarrham, cujus ope tollitur illius loci sensus. Quo eventu accidit ut miasma illud prædictâ in escarrhâ sepultum, jam non exerceat vim suam; adeò ut, si possit illud ibidem totum deleterium deponi, deindèque abhìnc evelli mediante suppuratione, anthrax ipsemet quoad multa medeatur anthraci. Tales bubones observantur in

peste ipsâ, necnon in febribus quibusdam epidemicis & malignis nostratibus, quæ carbunculis quàm malignis aliquandò etiam stipantur. Nec absimiles erant carbunculi qui Cranone grassabantur per magnos æstus, continentesque pluvias austrinas, de quibus Hippocrates lib. 2 de morb. vulg. sect. 1; ibidem asserendo se & vidisse partes ipsasmet internas iisdem bubonibus tentatas fuisse. Similesque erant illi qui pestilentem comitabantur constitutionem, de quâ idem observator, ibid. lib. 3, sect. 3.

Nascitur verò anthrax ab externâ causâ & quidem sæpiùs, propter alicubi infixum quoddam venenosum miasma, seu prosapiæ animalis fuerit, seu vegetabilis. Prosapiæ inquam animalis, quale per puncturam aut morsum animantis cujusdam inseritur: vel & quale latet in putridis quibusdam animalibus emanationibus quæ per contactum intussusceptæ fuerunt, aut longioris fomitis occasione. Vegetabilis verò naturæ, ubi malum illud ingeneratur ab infixâ sicciori & maleficâ cujusdam plantæ spinâ, vel ab accepto ejusdem succo acri-aromatico. Qui anthrax productus ab utrâque causâ externâ, illud ipsum malum est quod vernaculè dicitur *pustule maligne* apud Sequanos & Burgundiones.

Sedes anthracis ab externâ vel internâ causâ exorti habetur in cute, necnon in membranâ adiposâ huic subjectâ, sed prætereà glandulas aggreditur anthrax causæ internæ; ille verò qui viscera febricitantium occupat, sedet in eorum viscerum superficie. Sed inter duas anthracis species datur discrepantia multiplex valdè notabilis, sicut mox apparebit.

Nempè 1°. anthrax oriundus ab internâ causâ singulas corporis partes aggreditur, sæpèque partes glandulosas: dùm anthrax causæ externæ nudas dumtaxat corporis adit partes, videlicèt faciem, collum, manus, brachia, necnon superiorem thoracis

partem apud femellas ; tùm pedes & tibias eorum qui nudis hiſce partibus operantur.

2°. Anthrax febrilis, ſeu ſymptomaticus ſit ſeu criticus, ſæpè ſub initiis ſuis patitur metaſtaſim : dùm anthrax ortus à causâ externâ nunquam deliteſcit.

3°. Deniquè, anthrax febrilis ſatis celerem ſemper obtinere videtur ſymptomatum ſuorum progreſſionem : dùm ille qui externæ cauſæ debetur, plures per dies aliquandò manet ſub larvâ parvulæ puſtulæ, quæ tummodò pruriginoſa ac duriuſcula eſt ſine magnâ mutatione cutis, ſed maximas deindè actura tragœdias.

Quoad cætera, tres hoc in morbo ſtatus agnoſcuntur à Practicis. Primus habetur quandò nihil adhuc apparet niſi tumor parùm eminens, ſuaptè durus, pruriens, calenſque. Secundus, quandò hic tumor abit in eſcarrham nigri coloris, magis vel minùs quandòque ſerpentem, latentemque ſub parvulis veſiculis quæ in ejus apice naſcuntur. Tertius demùm, quandò tumor corripitur inflammatione circumvallante & ſuppuratoriâ, cujus ope obtinetur prædictæ eſcarrhæ avulſio.

Prædicti tres ſtatus carbunculi quandòque labuntur ſpatio horarum viginti-quatuor aut paulò longiori; quo tempore æger languidus eſt ac plerùmque ſomnolentus, cùm pulſu debili necnon febre. Eaque omnia eveniunt cùm tanto vitæ periculo, ut mors ſæpè contingat intrâ breve admodùm tempus. Verùm in carbunculo cauſæ externæ multò ſegnior quandòque datur morbi progreſſio ; illeque, ut jam innuimus, aliquandò latet per plures dies ſub larvâ cujuſdam puſtulæ quæ in ſtatu quaſi indifferenti non rarò manet per dies duos, tres, quatuor, aut quinque. Sed ubi malum hucuſquè cunctabundum fuit, brevi tandem tempore caput ſuum extollit. Tumor itaque celerrimo increſcit

passu, velocissimèque exporrigitur circà circumferentiam primitivæ pustulæ, imò & brevi tempore membrum occupat integrum : vel & strangulationis metum infert si collum afficiatur : quin tamen cutis color sensibilem adhuc exhibeat mutationem.

Interim, quo passu augescit tumor, eodem & primitiva crescit pustula, sensimque tumor cooperitur vesiculis lenticularibus diversicoloribus, quibus dehiscentibus emergit escarrha velut à candente ferro inusta. Deindè pullulat gangræna latens sub cute parumper tantummodò immutatâ; eaque brevì augetur & serpit magno cùm periculo, nisi tandem ipsi occurrat circulus inflammatorius circumnascens. Hic profectò omnibus escarrhis imponit jura : ipsum simul designando locum futuræ separationis mortui à vivo.

Prædicta sufficiant ad levem mali illius formidandi indicationem. Videatur accurata ejusdem descriptio in opere cui titulus, *Dissertation sur le charbon malin de la Bourgogne, ou pustule maligne, qui a partagé, en 1780, le prix de l'Académie de Dijon, par M. Thomassin.* Legantur etiam optima opuscula celeberrimi D.D. *le Roux*, Chirurgi Divionensis, cui in hâc parte plurimùm quoque debetur. Nunc magis urget consideratio inflammationis in induratum abeuntis.

§. IV.

INDURATIO.

TERMINARI dicitur inflammatio per indurationem, quoties loco inflammationis remanet tumor durus, magis vel minùs indolens. Hoc fit quandò inflammatoria materies celluloso in textu deposita, sensim ibi defraudatur vehiculo suo. Tunc enim

ea ibidem sensim concrescit, induratur & adhæret, nedùm resolutionem queat admittere aut suppurationem: eaque demùm illam gignit affectionem quæ vocatur *scirrhosis* vel *scirrhus*; id est, tumor durus atque indolens, qui creatur à prædictâ materie plus minùsve impactâ & immotâ: vicinis quoque vasis nonnihil similiter obstructis, favente nimirùm compressione ipsis illatâ.

Quia verò huic tumori duro, aliquis quandòque sensus subest levis, quandòque nullus: scirrhus alius exquisitus audit, alius non exquisitus. Prior omninò insensatus est & durus: dùm posterior non omni caret sensu, quamvis ille difficulter omninò sentiat quidpiam. Qui uterque scirrhus ex suâ collabitur classe characteremque cancrosum ambire jamjam dicitur, ubi lancinantium dolorum capax fit, sicut mox dicemus in appendice de cancro.

Induratione præprimis terminatur ea inflammatio, quæ sedet in partibus naturâ suâ laxioribus quàm ut valeant humorem ibi depositum elaborare & coquere: quia nempè longiorem post moram suam humor ille tandem deperdit principia sua subtiliora, superstite facto ejus crassamento. Sed præstereà notandum est, nihil indurationi favere magis quàm inflammatorius humor crassioris naturæ ac veluti nimis terrestris: qualis est humor pituitosus quilibet aut atrabiliaris.

Non mirum ergò induratione potissimùm terminari inflammationem apud pituitosos, strumosos, & atrabiliares: præprimìsque si ea glandulosas occupaverit partes. Eæ enim non laxâ solùm gaudent texturâ, sed & humoribus irrorantur magis concrescibilibus; iisque secernendis plurimæ inserviunt.

Nihilo tamen minùs talis scirrhosa induratio quandòque etiam determinatur, tùm in prædictis glandulis, tùm in pulmonibus

necnon

necnon carnosis artuum partibus ipsismet, loco resolutionis rationabiliter expectandæ. Hoc ita evenit 1°. quandò inflammatorius humor ut & pars in quâ sedet, fortè jam per se paulò iners, evadit adhuc inertior sub decursu morbi; sicut præsertim contingit ob præposteras largioresve sanguinis missiones, aut evacuationes alias: vel & propter incautam applicationem ingestionemve rerum nimis relaxantium. 2°. Si fiat abusus mediorum calidorum, tùm internorum cùm externorum, quibus dissipentur tenuiora, reliquis proindè hoc ipso inspissatis.

Neque obscura ratio est cur scirrhus non rarò nascatur pedetentim in iisdem partibus absquè prægressâ inflammatione ullâ, sed propter inquilinorum humorum concrescentiam sensim sine sensu accidentem: seu, ut aiunt, propter lentam congestionem localem quâcumque de causâ ingeneratam.

Diagnosis indurationis duplex est. Alia respicit imminentem indurationem: præsentem alia. Dignoscitur imminens induratio ex laxitate partis inflammatæ, ex temperamento & ætate ægrotantis, ex naturâ humoris inquilini simul & incongruâ curativorum mediorum usurpatione; sed imprimis ex imminutione doloris inflammatorii, quæ accidit sine crisi perfectâ, dùm tumor & renitentia non minuuntur secundùm eamdem proportionem, eaque potiùs increscunt sensim: vel & si tunc remanserit idem impedimentum functionis læsæ, ubi sedes mali non est externis subjecta sensibus. Prævidetur verò subnascens induratio per congestionem eventura, suspicioque ejus non parva habetur, ex tumore indolente sensim adventante, si organum sensibus obvium fuerit. Sed in parte abditâ ferè nequit talis congestio præsagiri, imò hæc ibi jam nata non agnoscitur, nisi summâ factâ attentione ad constitutionem individui, ad prægressas ejus ægritudines, simul & ad singularem functionis alicujus læsionem sensim

advenientem , nulli alteri causæ probabiliùs tribuendam.

Diagnosis præsentis indurationis obtinetur per essentiales scirrhi characteres, insensibilitatem nempè & duritatem, si tumor fuerit externus aut queat in visceribus tactu renuntiari. Verùm si scirrhosis internè latuerit, eam persentiscere ac judicare licet ex prægressis signis futuræ indurationis in organo quodam; tùm præsertim ex symptomatibus naturaliter sequentibus impeditam indurati organi functionem. Exemplo sit habitualis difficultas spirandi peripneumonico morbo non suppurato succedens: vel & bilis defectus in officinâ digestionis post hepatitidem probabiliter induratam, &c.

Prognosis scirrhi ex inflammatione induratâ enati, sicut & alterius indurationis cujusvis, varia est in genere prout ille exquisitus est aut inexquisitus; nempè in quantùm prior nequaquàm sanari queat: dùm posterior non raró curationem admittit, quantumvis difficilem.

Sed & varia scirrhi prognosis in particulari 1°. pro naturâ causæ; 2°. pro nobilitate organi; 3°. pro mole scirrhi 4°. demùm pro mutatione quam scirrhus accidentaliter suscipere capax est ob pravam vivendi aut medelæ rationem : miserè nimirùm degenerando lethalem in vomicam, cujus mentio fit ubi de morbis ad respirationem pertinentibus: vel variam inducendo cachexiam, de quâ ubi de nutritione agetur : vel & deniquè malignum abeundo in cancrum qui est pejor scirrhi eventus, de quo nonnulla sequenti appendice nunc dicenda esse operæprecium duximus.

Appendix de cancro.

Toties scirrhosis scirrhosusve quilibet tumor jam meretur vocari nomine cancri vel carcinomatis, quoties corripitur do-

loribus lancinantibus, initio ſat raris & demiſſis, ſed progreſſu mali frequentioribus ac ſævioribus. Quo in ſtatu tumor ille deinceps augeſcit, anguloſam ſimul acquirendo figuram, tùm colorem variè lividum aut ſubnigrum ac ſplendidum: unà cùm cæruleis venis circumcircà turgidis, atque ut cancrorum pedes divaricatis.

Duplex diſtinguitur cancer. Alius obſcurus ſeu occultus, vel non exulceratus, qualem ſuprà deſcripſimus: alius verò manifeſtus, qui nimirùm ex pellibus ſuis diſruptis prominet quaſi foràs emigraturus, tunc emittendo ſaniem acrem, fetentem ac rodentem; extùs ſimul inverſis labris ejus, iiſque veluti corneis factis: moxque inſuper maximis fungis ex ejus centro excreſcentibus: aut ibidem variis è contrà excavatis lacunis, à quibus non raròſuccedunt hæmorrhagiæ formidabiles. Quæ manifeſti cancri accidentia ſtipantur febre lentâ per tempus gliſcente, neutiquàm dimittendâ antequàm patiens occiderit.

Quod malum cancer dictum, cùm ita viſibilibus in partibus procedat quoad phœnomena localia & accidentia utrique ſpeciei cancri propria; ſic & illud progredi cenſetur in internis. Sed quod ſpectat modum quo ſcirrhus naturam inducat cancroſam, ille conſiſtere videtur in expanſione magis vel minùs celeri ſcirrhoſæ materiæ; quæ rarefit per modum caſei, aut corporis mucoſi vegetabilis ſimilem dilatationem ſubitam patientis, vel ab igne, vel à fermentatione ſpontaneâ. Undè concipere eſt quarè, ubi accidit prædicta ſcirrhoſæ materiei rarefactio, ideòque inducitur ſubita diſtenſio partium ejus continentium (quæ expanſioni habituali, quietæ atque ideò indolenti aſſuefactæ erant): quarè inquam, tunc tantoperè mutetur ſtatus earum partium pathologicus, ut tumor ex indolente evadat dolens admodùm, dolore nimirùm lancinati, velut ſecundùm diſtinctos

Bb 2

mucosæ materiei impulsus & nisus ad rarescendum. Ex quâ scirrhi expansione indesinenti resolvitur etiam, cur tandem crepare cogantur extenuatæ cancri pelles, atque ita ejusdem veluti *miva* in aperto dilatetur, tetrum plerùmque abeundo in fungum?

Sed hæc essentialis est clinica observatio circà genium cancri. Quemadmodùm nempè bubones suppuratorii, tùm strumosi, faciliùs frequentiùsque suboriuntur apud pueros quàm apud viros, ex aph. 26 sect. 3, nullatenùs verò in senibus, ex coacâ 512: ita & cancri, tùm occulti cùm manifesti, mediæ ætati familiares sunt, præsertimque senibus: quos & frequentibus cancrosis verrucis corripi nunc quoque observamus, sicut idem notatur lib. 2 prædictorum, sect. II. Foës., pag. 77. Ad cancrosam enim degenerationem duo imprimis requiruntur: solidorum nempè compages durior, & crasis humorum multò magis acer.

Cùm hæc ita sint, haud difficulter distinguere est causas multiplices quibus cancrosa scirrhi rarefactio inducitur; quoniàm istæ complectuntur ea omnia quæ valent quiescentem scirrhi materiem movere, calefacere, acrem reddere, simul & ejus exstimulare sedem. Talia autem sunt 1°. diæta calida, vinosa & acer. 2°. Calefaciens medela. 3°. Solitæ evacuationes suppressæ. 4°. Miasmata morbosa quæcumque. 5°. Demùm omnigenæ irritationes externæ, ut & morales.

Ad majorem rei accurationem simul & ad diagnosim prog-gnosimque præparandam, diversus cancer in quâcumque specie distinguendus est. 1°. Cancer magnus & cancer parvus. 2°. Adhærens, adeòque exstirpationi omninò ineptus: aut contrà fluctuans, seu existens laxâ cùm adhæsione ad partes magnis carentes vasis. 3°. Ortus à causâ internâ aut ab externâ. 4°. Deniquè, malignus & benignus: quæ ultima distinctio maximè

eſſentialis eſt. Benignus nempè dicitur ſi cauſa ejus benigna, ægrotanſque bonæ conſtitutionis. Malignus è contrà, ſi extiterit in corpore valdè ſenili & cacochymo: ſi materies celerrimè rareſcat: atque inſuper ſi nervi inſignes obvii fuerint, aut partes ſingulari modo pathologico ſenſificatæ; nam ſicut aliqui iiſdem in partibus cancri ſunt quandòque dolentiſſimi: ita & quidam fermè ſunt indolentes, ſeu dolentes leviter admodùm.

Quoad prognoſim, ſanè quidem cancer internus pejor eſt externo: itemque pejor ab internâ ortus cauſâ, quàm ab externâ. Si cancer à longè immineat, præcavetur aliquandò. Sed cancer præſens curari ferè nunquàm docilis eſt, niſi ille ortus ſit à cauſâ externâ, juniori in corpore & minimè cacochymo: prætereàque niſi ſit parvus, benignus & diſcretus. Tunc enim quandòque curatur beneficio integræ exſtirpationis per ignem aut ferrum: debellatâ priùs quâcumque diſpoſitione, cancrum fovere ac reproducere capaci. Sic quemdam carcinomate laborantem in faucibus, per Hippocratem uſtione ſervatum fuiſſe legitur lib. 7 de morb. vulgar., ſect. VII Foëſ., pag. 337. Sic ulceroſam cancroſamque linguam ſemel ſe curaviſſe ſcripſit Ruiſchius obſ. anat. 76. Sic demùm nonnullas ſcalpello patratas cancrorum benignorum, recentium & parvorum ablationes bellè ſuccedere paſſim obſervamus.

Verùm in quibuſvis maligni aut maximi cancri circumſtantiis, nihil tentare licet præter lenimen ſymptomatum, & averſionem occaſionum quibus quies cancri turbari poſſit: niſi fortè felicibus plurimis eventibus maximè probetur id quod nuperrimè fuit propoſitum de uſu opii externo, *Journal de Médecine*, mai 1786, p. 292. Propterea, quouſquè aliquid tuti confirmatum ſit, putamus adhærendum eſſe aphoriſmo 38 ſect. 6, in quo dam-

nantur therapeutica pharmaca, & qui hic eſt, *quibus cancri occulti fiunt, eos non curare præſtat; qui enim curantur, celeriter pereunt; qui verò non curantur, multum tempus perdurant.* A fortiori, periculoſiſſima foret exſtirpatio ultrà caſus ſuprà memoratos. Hìnc enim ſæpiùs cancer renaſcitur malignus; vel & malum recurrit ad interiora, ubi latentem fortè quamdam diſpoſitionem cancroſam evolvit, novos ibidem cancros generando: aut illud citam accerſit mortem. Sic Abderitanæ cuidam mulieri, interceptâ fluxione ſaniei carcinomatoſæ per mammæ papillam, mors contigit, ut legitur in fine libri 7 de morb. vulg.

Nunc deveniamus ad quintum modum quo terminari poteſt inflammatio.

§. V.

Metaptosis.

Metaptosis nomine generaliter intelligenda eſt alicujuſcumque morbi permutatio in alium, priori ceſſante. Sed ibi talis eventus conſiderandus venit in ſpecie reſpectu inflammationis, quæ evanuit quia materies ejus exportata fuit in aliam partem, in quâ novum procreavit decubitum.

Hæc inflammationis tranſlatio duplex quoad eventum præcipuè diſtinguenda eſt. Alia nempè accidit per *metaſtaſim*, ut aiunt; alia per *diadochen*. Per *diadochen* ſcilicèt, quandò materies inflammatoria feliciter transfertur in partem minùs nobilem aut foràs emigrat ab internis: per *metaſtaſim* verò, ſi fiat in partem nobiliorem, aut ab externis ad interiora. Poſſet quoque agnoſci tranſlatio indifferens, quandò nimirùm inflammatio deſerit aliquam partem ut aliam ſimilem aggrediatur. Sed quidquid admit-

tatur, modus semper idem est, eventusque dumtaxat æstimandus: nempè ob diversitatem partis de novo occupatæ.

Inflammationem duplici potissimùm de causâ transferri concipitur. I°. Scilicèt, quandò materies mobilior est, aut pars affecta impar illam retinere. 2°. Si culpâ medelæ aliarumve externarum rerum, aut effectu pathematum animi, materies inflammatoria è loco suo dimoveri cogatur.

Notum siquidem est experientiâ, eas inflammationes metaptosi imprimìs obnoxias esse quarum materies suaptè mobilior existit, qualis est erysipelatosa, præsertimque arthritica; tùm illas quæ contingunt in corpore valdè debilitato. Inflammationes enim illæ, (& quidem arthritica antè alias), non raro delitescunt spontè, absquè quòd valida quædam causa interna externave, saltem sensibilis, huic transpositioni occasionem præbuerit.

Notum pariter nullam esse inflammationem vel segniorem, sicut nec ullum decubitum, quæ non sit etiam capax emigrare quandò dantur occasiones sequentes, seu causæ loco secundo suprà indicatæ. Nempè 1°. applicatio repercutientium aut frigoris externi. 2°. Magna quædam evacuatio valdè debilitans & revulsiva, tùm magna animi commotio. 3°. Dissita aliqua irritatio, qualis v. g. excitatur ab epispasticis. His enim de causis non solùm inflammationes sæpè emigrant; verùm etiam retrocedere valent, ut aiunt, quæcumque eruptiones criticæ: tùm habituales, quæ ipsæ quædam veluti crises perennes sunt. Imò ab iisdem retrocessionibus immunes non sunt ipsimet abscessus; quorum tamen translationes sæpiùs contingunt ob simplicem loci afficiendi proclivitatem; præcipuè quandò focus eorum purulentus nimis serò vel imperitè apertus fuit: aut pars malè deligata post aperturam.

At quæcumque materies morbosa alicubi decumbens trans-

feratur, ea emigrat per cellularem textum, suasque tragœdias excitat triplici modo. 1°. Scilicèt, illa quandòque celerrimè transmota per medias adiposas cellulas novum decubitum statim facit in aliâ parte, sæpè satis dissitâ; sed præsertim in eâdem provinciâ cellulosæ illius membranæ. 2°. Aliàs, longè latèque disseminatur eadem materies cellulari in telâ, ibique aliquandiù degit singularem creando leucophlegmaciam, sæpè localem, difficilè quandòque subigendam vi vitæ vel artis. 3°. Demùm, materies hæc per talem cellularem aliquandiù vagabunda ibique variè mutata, tandem abhìnc resorbetur, & varios coinquinat humores in oceano sanguinis pro variâ suâ cùm variis humoribus affinitate; deindèque aliquandò varios morbos producit mirabiles, sed præsertim stupendos si nervi præprimìs fuerint metastaticâ aurâ penetrati & specialiter irritati. Qui morbi omnes metastatici, peculiarem subeundo tractationem diversæ metastasi accommodatam, sæpè sanantur contrà omnem boni expectationem: dùm ii de die in diem aggravati, sæpiùsque de horâ in horam, certò enecant si ipsis occurratur nullâ attentione factâ ad metastasim.

His porrò omnibus meditatis, facile eruere est omnigenæ metaptosis diagnosim: neque obscura prognosis. In hâc ideò ultimâ inflammationis terminatione longiùs non immorabimur, ut transeamus ad secundam hujus articuli sectionem in quâ de Ecchymosi agendum.



SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De ecchymosi.

Ecchymosis seu *Ecchymoma*, Latinis sugillatio, est ille contusarum partium status in quo sanguis sic jacet effusus in cellulari textu, vicinisque vasis quasi detritis, ut eo in loco percipiatur tumor, quandoquè mollis quandoquè duriusculus, lividus ut plurimùm vel fuscus, sæpèque ater: tùm aliquandò dolens, aut è contrà doloris expers.

Ratione sedis & materiei, ecchymosis non parùm convenit cùm inflammatione. Verùm ab illâ multiplici ex capite distinguitur. 1°. Ecchymosis nulla fit absquè præviâ notabili solutione continuitatis, nec absquè deperditione toni; dùm inflammatio ab irritatione incipiens, comitem semper irritationem habet majoremque tonum; eaque prætereà nonnisi levissimam continui solutionem sensim infert in textum cellularem inflammatum: quæ igitur læsio inflammationis effectus est, non verò causa.

2°. Sanguis in ecchymosi extravasatus, nequaquàm ibi pressus est sicut in inflammatione, illeque statim ab extravasatione suâ cessat moveri, adeòque abit in grumulos & frigescit; dùm è contrà sanguis in inflammatione continuò verberatur ab adauctis inflammati loci oscillationibus, ideòque fortiùs agitatus incalescit magis, nisi fortè gangræna ingruat. 3°. Pars quæ ecchymosi tentatur livida est aut variè denigrata: dùm inflammata pars plus minùsve rubescit. 4°. Deniquè ecchymosis sæpissimè doloris expers est, aut ad summum dolore dolet obscuro ac veluti gravitante: dùm inflammatio essentialiter stipatur dolore pulsanti aut

deurente, vel ad minimum calente infeftatur pruritu, qui primus doloris gradus eft.

Cùm hæc ita fint, fequitur caufam ecchymofis illud omne effe, quod valet obterere, lacerare, fimul & atona facere vafcula partis alicujus arteriofa ut & venofa; quæ fic coguntur fanguinem fuum evomere vicina in latibula telæ cellularis, fimiliter quoque obtrita & atona facta. Hippocrates fibi facturus imaginem caufæ ecchymofis, illam fpectabat tanquàm foret quidam naufeabundus vaforum effectus; quafi fanguis ab his refunderetur ac reftagnaret, velut cibus in naufeabundâ ftomachi redundantiâ.

Confequenter inter caufas ecchymofis recenfentur ictus contundentes, nimia mufculorum conamina, necnon & clandeftinæ vafculorum erofiones ab acri quodam humore adhærente. Undè planum eft ecchymofes contingere poffe åbditis in partibus quibufvis, perindè ac fub cute externâ. Nam, prædictis de caufis, vafcula ubiquè difponi poffunt ad fanguinem fuum evomendum: cellulofa autem tela ubiquè adeft ad recipiendum.

Diagnoftica figna externæ ecchymofis haud difficulter ex dictis eruuntur. Verùm diagnofis internæ ecchymofis non elicitur, nifi acie ingenii: juvante videlicèt prægreffarum hiftoriâ rerum, vel & beneficio maximæ fufpicionis quæ aliundè reperitur in dolore interno & habitu tandem fuboriente, variaque fymptomata producente pro diverfitate organi. Nonnè fimili dolore malum illud quandoquè probatur in neglectis contufionibus capitis aliarumve partium, ficut & poft nimios operariorum conatus?

Quod fpectat ecchymofis genium, ejufque modos abeundi ac proindè prognofim, ea omnia ex fequentibus quatuor factis infignibus colligere atque æftimare eft.

1°. Si ſanguis in ecchymoſi non multus, ille haud difficulter ſpontaneâ ſui diſſolutione tranquillâ ſenſim degenerat in quamdam ſaniem ſingularem, quæ partim reſorbetur deindè eliminanda congruos per locos; quæ etiam partim ex contuſo loco immediatè exhalatur forâs.

2°. Dùm fit reſolutio ecchymoſis externæ, obſervatur contuſam partem evadere pedetentim ex nigrâ cæruleam, deindè cæruleo-flavam, flavam deniquè & variè pallidam, quouſquè demùm ea colorem ſuum recuperet : ita per partes depoſito colore morboſo, prout extravaſati cruoris ſtagnantes moleculæ diſſiliunt. Hiſque ſignis apertè renunciatur fauſta ejus reſolutio.

Sed eorumdem factorum ſimilia denegantur ſigna ecchymoſi internæ; ideòque reſolutio ejus aliundè expiſcanda & indaganda eſt. Nempè ex veniente paulatim liberatione partis intùs gravatæ per ecchymoſim; tùm ex ſudore nonnullo vel & aliquantulo ſedimento urinarum. Quibus ſignis addantur ſputa atro-rubra aut flava, ſi ecchymoſis in pleurâ fuerit ut quandoquè obſervavi; tùm addendus effluxus ſanguinis, vel puris, vel aquæ, per aures, vel os, vel nares, capite contuſo dolenti, ac vehementer laboranti, ſicut docetur aph. 10 ſect. 6, & clinicis Medicis notum eſt.

3°. Si verò ecchymoſis paulò major fuerit, cùm non adeò facilis reſolutio ejus, præſertim ſi illa negligatur, abhìnc varia ſcaturire queunt mala. Tunc enim indè naſci poteſt ſcirrhoſis aliqua; vel ſæpiùs metuendum, nè ipſemet ſphacelus eam occupet, aut nè accendatur dolens admodùm inflammatio faciliùs ſuppuratura quàm reſolvenda, imò & ipſam in gangrænam aliquandò abitura. Quandoquè etiam ecchymoſis materies partim elaborata, metaſtaticè vagatur celluloſam intrà telam, ibi producendo chronicam quamdam turgentiam veluti leucophlegma-

ticam, ordinariis aliis cachexiæ humidæ ſignis carentem. Quæ turgentia inferioribus artubus præprimìs infeſta, præcipuè ceſſura erit pharmacis ſtimulantibus, ut & exutoriis cantharidum applicationibus. Aliàs demùm ecchymoſis materies, quanta quanta ſit, diuturnâ ſtagnatione ſuâ in viſcere quodam, ſingularem ibi acrimoniam ſuſcipit, vicina tandem vaſcula rodere & aperire capacem. Quâ *diabroſi* aliquoties adducuntur reconditæ ſanguinis effuſiones cellularem intrà textum, proteiformia creantes mala; vel & inexſpectatæ atque periculoſiſſimæ hæmorrhagiæ invehuntur aut purulentiæ: ſeu per renes, in caſu ecchymoſis renalis neglectæ: ſeu per pulmones ſimiliter affectos, &c. Ex quibus ecchymoſis finibus, facilimam periculoſiſſimamque phtiſim poſſe oriri manifeſtum eſt; renalem nempè, aut pulmonarem, aut aliam.

4°. Deniquè, ſi negligatur ecchymoſis etiam apparenter levis, ea ſucceſſu temporis multùm quandoquè nocet. Quod nempè fit, tùm effectu debilitationis ſolidorum exindè oriundæ, tùm propter aliquam inquilini humoris mutationem abhìnc latenter ſcaturientem. Si in oculis hæc eveniant, hìnc *glaucomata* aliæve obcæcationes viſûs: ſi in oſſibus, caries: ſi glanduloſis in partibus, ſcirrhoſes: ſi in ſcirrho, carcinoma.

Omnibus porrò prædictis penſitatis, haud difficulter reſolvere eſt quandònam ecchymoſis minimè gravis aut meritò pertimeſcenda; & quarè.

ARTICULUS II.

DE VENIS SANGUIFERIS.

IN genere, amplitudo viſibilium venarum earumque multiplicitas, unà cùm turgentiâ nonnihil renitenti, habentur tan-

quàm indicium bonæ earum conſtitutionis. Hoc ita videre eſt uſquè ad ſenectutem apud individua ſanguinea ; præſertìmque apud maſcula quæ mediocri adipe onerantur. Sed talis venarum habitus haud frequens aſpicitur apud pinguiores, femellaſque imprimìs, in quibus è contrà venæ intrà multam adipem cohibitæ non efformant niſi gracillimos rivulos, in cute velut eburneâ pulchrè aliquandò ſubcæruleſcentes.

In ſenibus verò quibuſcumque, ob naturalem eorum macilentiam, ordinarium eſt externas venas ſenſibiliter cuti ſupereminere, tuncque notabiliter ampliari ac flacceſcere. Quandòquidem venarum denſitas hanc per ætatem ſenſim decreſcit.

Nunc pathologicos venarum ſanguiferarum ſtatus varios conſideraturi, ſequentia ipſis tribuimus, præter communem earumdem cùm ſangüiferis arteriis affectionem in ecchymoſi de quâ mox diximus. Nempè obſervatur aliquandò maxima & accidentalis viſibilium earum venarum turgentia in partibus corporis ſupernis, ut & in inferioribus, quæ fit plerumquè ob difficilem reditum ſanguinis ad cor ; nimirùm in jugularibus, apud orthopnoïcos : tùm in venis inferioribus, in caſu majorum quarumdam obſtructionum abdominalis alicujus viſceris, aut pertinacioris adſtrictionis alvi, aut provectæ graviditatis.

Prætereà venæ magis ſuperficiariæ variarum partium non raro remanent conſtanter dilatatæ, præſertim in cruribus ac tibiis, ubi elevantur in tumores, molles, inæquales, nodoſos, indolentes, colore ſubcæruleo ut plurimùm donatos, qui varices audiunt. Iis præcipuè corripiuntur ſenes, gravidæquè præprimìs mulieres, tùm aſſidui ſcenarum ſpectatores erecti. Imò apparuit cadaverum diſſectione, aliquandò ſimiles varices natas fuiſſe in viſceribus, decurſu & effectu morborum chronicorum.

Ad varicum genus revocandæ ſunt hæmorrhoïdes ſeu illæ

ſingulares dilatationes venarum ani, tàm internarum quàm externarum, quæ ibi quandoquè ſupereminent velut uvæ acinorum aut mariſcæ; tùm etiam memorandæ ſimiles intumeſcentiæ venarum quæ ſunt in veſicæ collo, ideòque veſicariæ hæmorrhoïdes appellantur. Quæ utræque hæmorrhoïdes dicuntur clauſæ, quandò nullum effundunt ſanguinem: apertæ è contrà, ſi ex illis ſanguis ſtillaverit. Quænam ſit earum cauſa, nunc dicendum.

Cauſa varicum veſicæ habetur in affectionibus ſtranguriofis arthriticorum & calculoſorum. Propterea illi non accidunt per adoleſcentiam, ſed à pubertate ad annum circiter quadrageſimum-ſecundum: quia prædicti morbi, pueritiæ & adoleſcentiæ parcere ſolent, ut notatum eſt coacâ 512, quæ obſervatione quotidianâ comprobatur.

Cauſæ numeroſiores aſſignandæ veniunt hæmorrhoïdibus quæ in ano ſunt. 1°. Habitualis conſtipatio alvi, ut & habitualis ſeſſio demiſſiori in ſellâ, corpore ſimul antrorsùm inflexo. 2°. Multiplex partus & graviditas. 3°. Veſicæ calculus grandior. 4°. Suppreſſio menſium, in effœtis præſertim. 5°. Demùm affectio melancholica chronica, tùm hepatis obſtructiones.

His prædictis hæmorrhoïdum cauſis medicè æſtimatis, facilè obtinetur ratio cur hæmorrhoïdes tantùm contingant hominibus conſtantem ætatem agentibus, ex aph. 30 ſect. 3: tùm quarè præſertim accidant viris qui habitant civitates meridionales, aquis paluſtribus utentes, ſolique & ventis malè expoſitas, ut legitur initio libri de aëre, locis & aquis.

Semel natæ gravem ob cauſam hæmorrhoïdes, eæ perdurare ſolent ſi cauſa perſeveraverit. Tuncque eæ ſæpè aperiuntur cùm levamine. Ideòque, *ſanguis ſuprà quidem, qualiſcumque fuerit, emiſſus, malus; infrà autem bonus*, ex aph. 25 ſect. 4.

Viri, mulieresque effœtæ facilè aſſueſcunt hæmorrhoïdali

fluxui, ſtationariæ cujuſdam criſeos vices gerenti, illiuſque beneficio præſervantur à pluribus morbis inflammatoriis, recenſitis lib. 6. de morb. vulg. ſect. 3, n°. 28; ubi & referuntur ægritudines quæ illius fluxûs ſuppreſſioni ſuperaccidunt, præcipuè ſi fuerit à longiori tempore habitualis. Undè intelligitur quantùm periculoſum ſit diuturnis hæmorrhoïdibus ullo modo officere, proindèque quanto cùm diſcrimine eæ tollantur per integram ablationem: ideò Hippocrates adversùs hanc curationem meritò refragatur, dicens aph. 12 ſect. 6: *à diuturnis hæmorrhoïdibus curato, niſi una ſervetur, periculum eſt nè aqua inter cutem, aut tabes, aut inſania ſuccedat.* Prætereàque in fine libri 4 de morb. vulg. memorat quemdam nomine Alcippum, qui irrito conſilio ſuo curatus, inſaniit; ſed qui reſipuit acutâ deindè febre feliciter ſuccedente.

De reliquo hæmorrhoïdes in morbis ſupervenientes ſæpè admodùm juvare, minimè ſtupendum. Hoc ita fit, ſive quia utilem quamdam revulſionem exercent; ſive quia ſanguinem atrabilioſum ſtagnantem & copioſum eliminant. Indèque intelligitur quarè *melancholicis affectibus, & renum vitiis, ſuccedentes hæmorrhoïdes bono ſint*, ex aph. 11 ſect. 6; in quâ & n°. 21 legitur, quòd *inſanientibus ſi varices, aut hæmorrhoïdes ſupervenerint, inſaniæ ſolutio fiat.*

Nunc quædam pravæ hæmorrhoïdum conſequentiæ annotandæ ſuperſunt. 1°. Hæmorrhoïdalem fluxum non rarò exceſſivum fieri, ab illoque imminere cachexiam humidam aut tabidam: tùm icterum valdè chronicum; 2°. Hæmorrhoïdas non rarò inflammatione tentari, imò & gangrænâ admodùm periculoſâ; ab iiſque ſuppuratis graves ſæpiùs contingere ani fiſtulas. 3°. Hæmorrhoïdes quandoquè abire calloſum in ſcirrhum annularium, qui capax ſit immedicabilem adſtrictionem alvi accer-

ſere, & demùm characterem contrahere carcinomatoſum. 4°. Sæpè etiam hæmorrhoïdes continuò dolentes manere, ideòque capaces eſſe febrem moliri periculoſam, vel & determinare vicinarum partium inflammationem ex quâ fortè oriatur inteſtinorum ſuppuratio aut ſphacelus, aut ad minimum fiſtula valdè cuniculoſa. 5°. Deniquè notabimus quemdam aliquoties obſervari hæmorrhoïdalem fluxum lymphaticum, quo videtur aliquandò ſuppleri ſanguinolentus. Sed tenere oportet priorem potiùs ominoſum eſſe quàm utilem. Ille ſiquidem hepati præſertim inſidioſus eſt, ſicut probat experientiâ, quia nempè hoc mediante fluxu lymphatico, ſanguis redux ad hepar defraudatur parte ſuâ fluxiliori.

In prædictis habentur præcipua facta quæ ſpectant hæmorrhoïdum & varicum aitiologiam ſicut & differentias. Proindè licet ibidem earum diagnoſim intueri, ut & prognoſim.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

De Vasis lymphaticis.

HABITUS corporis nitidus, albo-roſeus, vel exhibens ſaltem conſtantem ſani ſtatûs individui colorem, indicat puritatem lymphæ quantùm pura eſſe poteſt in hoc individuo. Illeque prætereà deſignat liberum liquidi illius per vaſa ſua tranſgreſſum.

Prædicta cutis externæ modificatio propria eſt juventuti, necnon imprimìs optimæ juniorum puberum conſtitutioni, quæ adhinc mutuatur lepores ac veneres felicis hujuſce ætatis.

Sed pro variis ſtatibus pathologicis, hic mutatur habitus corporis. Mox cutis color rubore majori perfunditur quo revelatur plethora; mox pallore ejus patefit conſtitutio pituitoſa,

aut

aut cachectica ; mox colore flavo ſimul & quandoquè ſubatro, habetur indicium bilioſæ conſtitutionis aut atrabilioſæ ; quæ ultima præſertim adeſt ſi quædam ſimul obſervetur ariditas cutis, nonnullaque corporis macilentia. Quantùm licet de rebus abſtruſis ratiocinari, fas eſt prædictis adhærere conſiderationibus, nec indè gravis erroris impendet metus. Sed attendere juvat phœnomena ſuperiùs deguſtata tantùm pertinere ad ſtatum telæ cellularis, quantùm ad vaſa lymphatica.

Nobis repugnaret longiori ſermone procedere circà hanc quæſtionem. Nam in rebus merè hypotheticis facilius eſt Medico creari periculum, quàm pathologicos aut therapeuticos colligere fructus.

Finem dicendorum faciemus, notando hydatides nihil eſſe niſi varices venarum lymphaticarum ; quæ & venæ ſæpè forſan ſedes ſunt tumorum quorumdam ſaccatorum dictorum. Quoad arterias verò, eæ quidem de facto laborant obſtructione in ſcirrhis. Sed eæ nequaquàm capaces ſunt inflammationis in ſenſu Boerrhaaviano. Quid deniquè cenſendum ſit de effuſione laticis hydropici per eorum vaſorum fines, dicemus ubi de humore Pericardii, Pleuræ & Peritonei.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

De Glandulis lymphaticis.

GLANDULÆ lymphaticæ vix in ſtatu ſano valent ullibi ferire ſenſum obſervatoris, præſertim ultrà ætatem adultam. Patet idcircò illas benè valere, quandò prorsùs latent.

Nihilominùs certum eſt glandulas illas ſæpiſſimè ægrotare ; imò nullum viſcus, excepto hepate, frequentiùs tentari obſtruc-

tione & infarctu, cùm periculo ſcirrhi & carcinomatis. Cujus phœnomeni pathologici petitur ratio ex ſolitâ retardatione lymphæ eas glandulas pertranſeuntis, necnon & ex qualitate facilè viſcosâ & concreſcibili humoris quem illæ ſecernunt.

Inter memoratos lymphaticarum glandularum infarctus recenſeri profectò meretur ſcirrhus, de quo actum eſt ubi de induratione loci inflammati. Sed notandus præſertim ille earum tumor ut plurimùm indolens & pallidus, admodùm chronicus, ſæpè perpetuò duraturus, non corripiendus inflammatione & dolore niſi per accidens: qui audit nomine *ſtrumarum*.

Apud Hippocratem, lib. de glandulis, ſtrumæ vocantur morbus peſſimus colli, quia illius quidem glandulæ ſæpè ſæpiùs ab eo morbo infeſtantur. Sed & ſtrumæ pariter aggredi ſolent glandulas axillares & inguinales; tùm eas quæ propè articulos manuum ac pedum ſedent, necnon & præſertim meſentericas. Idcircò ſtrumæ aliæ dicuntur internæ, externæ aliæ.

Idem glandularum tumor, frigidus paſſim nuncupatur ob infrequentiam adjuncti caloris & doloris inflammatorii. Generatur ab humore albo, viſcoſo, ſenſim ibi aggeſto aduſquè magnam quandòque molem; ſed ille dolorem ſenſibilem non excitat, quia contingit ſenſim ſine ſenſu; adeò ut partes aſſueſcant diſtractioni quam indè experiuntur. Aliquandò tamen illa congeſtio mole ſuâ gerit tandem vices alicujus ſtimuli, præſertim ubi paulò celeriter augeſcit, tuncque valet nonnullam advocare inflammationem. Verùm inflammatio hæc non eſt valdè calida, nec dolens admodùm; eaque nonniſi incompletam lentamque reſolutionem admittit: vel & quandoquè ſpuriam ſuppurationem, eamque pigerrimam. Quæ ſuppuratio ſanioſa & valdè chronica omnes quandoquè partes depaſcitur, imò & oſſibus non parcit, ſi ſtrumæ apertæ fuerint in iis parvulis glandulis

quæ jacent circà vicinitatem articulationum. Undè intelligitur ſtrumas meritò etiam diſtingui in apertas, & in clauſas.

Prorsùs ignoratur cujuſnam ſit naturæ virus à quo pendet prædicta ſingularis inſpiſſatio & congeſtio lymphæ. Neque apparet ad illius generationem quidquam conferre labem ſiphiliticam; quandòquidem jam viguerint ſtrumæ ſub ævo Hippocratis, quo tempore ignotum erat venenum illud Americarum. Sed non licet credere, quòd venerea lues diù latens & degenerata nequeat ſtrumis vires nunc addere, illiſque doloſam imprimere malignitatem. Verùm enim verò, ſtrumoſum virus forſan eſt aliquis tantummodò fœtus digeſtionum crudarum & viſcoſarum, ſimul & certæ cujuſdam fibrarum laxitatis ac præſertim glandularum lymphaticarum.

Non mirum igitur ſtrumas imprimis naſci apud pueros, ut docetur aph. 26 ſect. 3. Eorum enim conſtitutio corporea, optimè quadrat ad occaſionales cauſas ſuperiùs aſſignatas, ſicut mox videbitur. 1°. Glandulæ lymphaticæ dictæ in pueritiâ luxuriantur admodùm: dùm illæ propemodùm evaneſcunt adventante ſenio. 2°. Strumæ potiſſimùm generantur ac pullulant apud infantes & pueros, tùm quandòque apud debiliores ipſos juvenes arcto in loco aggregatos, uliginoſa habitantes loca, ſedentariis operibus addictos, repercuſsâ infectos ſcabie; præſertìmque ſi ſimul veſcantur cibis dyſpeptis, pravis, malè coctis, farinoſis non fermentatis, craſſiore aut rancidâ pinguedine refertis, diutiùs aſſervatis poſt cocturam, vel & pluribus ſimul aliquandiù mixtis manentibus in hoc ſtatu antequàm comedantur. Qui ultimi fœdarum ſtrumarum fontes mihi videntur omnem mereri attentionem honeſtorum virorum educandis pauperum liberis invigilantium. Quoniàm in iis omnibus circumſtantiis prædictis, (præſertim ſi eæ plures miſerè cumulatæ fuerint), generatur

lympha viſcoſior, lymphaticis glandulis infarciendis aptiſſima. Nec aliundè procedit frequentia ſtrumoſarum affectionum quæ certis in locis perperàm quandoquè habentur tanquàm contagioſæ. Nam debiliores adoleſcentes facilè ibidem ſtrumas acquirunt eas ob cauſas ; vel & ſi quædam in iis latuerit ſtrumoſa fortè labes , ea facillimè efflorefcit. De cætero obſervatur ſtrumas nuſquàm oriri ultrà annum ætatis quadrageſimum-ſecundum niſi illæ anteà occupaverint, ſicut jam notatum legitur coacâ 512 : vel etiam, niſi aliquod ſeminium abditum ſupermanſerit uſquè ad ipſam ſenectutem. Sed ſtrumæ quæ tunc fortè apparent, leviores ſunt & benigniores.

Diagnoſis ſtrumarum obtinetur ex inſpectione tumorum indolentium & renitentium (renitentiâ tamen non omninò ſcirrhosâ), qui glandulis in lymphaticis ſedent & qui prætereà pertinaces ſunt , tardè ut plurimùm augeſcentes , ac numeroſi. Cautè tamen debet illud nomen pronunciari ; nam omnis tumor glandularum renitens non eſt ſemper ſtrumoſus, irritâ quâdam ſimilitudine. Talis tumor oriri potuit ob quamdam metaſtaſim , vel poſt inflammationem induratione terminatam ; quo in caſu ille multò faciliùs curaretur , ſine ullo metu hæreditariæ labis ſuperfuturæ. Aſt quandòque ſtrumæ ita evidentes ſunt , ut nullus detur allucinationis metus, & ut abdomen præ illis tumidum deprehendatur.

Benignæ ſtrumæ facilè renunciantur tumore æquali , mobili , ſubrotundo , non adeò renitente nec ullatenùs dolente. Malignæ verò ſignis contrariis innoteſcunt, præſertim ſi eæ fuerint apertæ , jàmque efformaverint ulcera rodentia ac propemodùm carcinomatoſa.

Quoad ſtrumas junioribus pueris imminentes , licet eas augurari & ab illis præcavere , quandò alæ naſi ut & labra ſat

constanter tument, aliundèque subapparent signa laxitatis nativæ; earumque major adhuc suspicio habetur, quandò gravis insuper admittitur error in ratione vivendi.

Circà prognosim notandum strumas hæreditarias curari non posse: secùs verò accidentales & benignas, dummodò iis incipientibus occurratur, præsertim antè adorientem pubertatem. Sed si strumæ pueris permanserint neque curatæ fuerint circà pubertatem, aut fœminis circà menstruorum eruptiones, eæ consenescere solent haud secùs ac aliæ plurimæ affectiones, sicut traditum est aph. 28 sect. 3. Престereà attendendum, varias viscerum affectiones strumarum naturâ & moribus infici apud strumosos. Hoc præsertim videre est in phtysibus pulmonariis hujus genii, quæ sine præcedente hæmophtysi accidere solent. Mihìque etiam visum est pubertatem admodùm tardiorem efflorescere apud strumosos; prætereàque ab eâdem labe variolis characterem non rarò imprimi multò segniorem, quàm æquum foret ad obtinendam optimam veneni variolosi separationem ac expulsionem.



CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

De Sanguinis circulatione.

RESPECTU circulationis ſanguinis, Conſiderationes pathologico-ſemeïoticæ eam duntaxat amplectuntur ſignorum ſeriem quam colligere fas eſt in pulſu arteriarum; quatenùs ſcilicèt plurimum indè habetur indicium præſentis ſanitatis vel morbi. Undè hìc quærendum venit 1°. quiſnam ſit arteriarum pulſus ſanus? 2°. Quiſnam morboſus?

1°. Sanus arteriarum pulſus ille eſt, in quo arteriarum pulſationes omninò ſunt inter ſe ſimiles, ſexagies circiter repetitæ intrà minutum temporis in homine mediam ætatem agente: frequentiores in juvene; in ſene è contrà rariores; quæ pulſationes ſunt æqualiter ab invicem diſtantes, tùm molles, liberæ, & deniquè fortes, quin videantur cùm aliquo hoſtili impetu exerceri.

Tales itaque arteriarum pulſationes apprimè demonſtrant perfectam omnia inter viſcera regnare harmoniam. Quoties enim nihil mutatum eſt in motu cordis, toties nihil quoque mutatum eſt in amicâ cordis & reliqui corporis viventis tranquillitate ac pace reciprocâ. Cùm omnes corporis partes concurrant ad modificandam cordis actionem, mediante reſpectivâ earum ſenſibilitate & irritabilitate, & cùm eæ partes per morbum acquirant pathologicam diverſam ſenſibilitatem ut & irritabilitatem: nequit aliqua iis in partibus mutatio contingere abſquè quod perturbetur actio cordis, quoniam tunc illud experitur novum quemdam conſensûs ſui effectum. Proindèque nihil morboſi latet, quandò nihil omninò mutatur in actione cordis.

2°. Morbofus pulfus arteriarum, feu ftatus ejus contranaturalis perperàm dictus apud fcholafticos, ille eft in quo earum pulfationes recedunt à ftatu fuprà defcripto, quoad celeritatem, mollitiem, æqualitatem: feu morbofus pulfus eft omnimoda mutatio in ordine fecundùm quem arteriæ pulfare percipiuntur dùm adeft fanitas.

Hæc mutatio in pulfu arteriarum fit 1°. quoties, ipfomet corde affecto, variæ contingunt earumdem pulsûs fuppreffiones, intermiffiones, aut palpitationes, de quibus cap. 2°. ubi de phyficâ vitâ in fe confideratâ. 2°. Quoties corporis organum quoddam patitur infolitam fenfificationem, aut irritationem, cujus occafione, cor fympathicè excitetur ad actionem fegniorem, aut ad celeriorem, de quâ ultimâ hìc præprimis agendum incumbit.

Sed quia hæc acceleratio pulsûs mox pendet à mutatione tranfitoriâ corporis fani & viribus pleni, mox verò à mutatione conftanti corporis ægrotantis & debilitati: hinc venit diftinguenda pulsûs acceleratio abfoluta, & acceleratio refpectiva.

Abfoluta pulsûs acceleratio illa eft, quæ abfolutè congruit actuali ftatui virium hominis fani, qualis ex. gr. obfervatur in homine currente, aut benè pafto, aut irato, &c. Cui accelerationi abfolutæ opponitur illa retardatio abfoluta, quæ reipsà obfervatur in homine debilitato.

Refpectiva verò dicitur ea pulsûs arteriarum acceleratio, in quâ pulfationum celeritas major deprehenditur quàm quæ congruit actuali voluntariarum virium ftatui, & qualis obfervatur apud hominem eâ laborantem affectione quæ vocatur *febris.* Cui accelerationi refpectivæ opponitur ea retardatio refpectiva, quæ de facto reperitur in variis animi deliquiis; in quibus homo, vel fortiffimus, ftatim præbet pulfum tardiffimum: ficut è contrà pulfus citior eft in debiliori febricitante.

Quoniàm

Quoniam verò minimè ſatagimus quærere ſubtilitates, ſed colligere facta pathologica quæ facem præferant Medico, graviores morbos cognituro, deindèque curaturo: ea duntaxat ſcrutabimur quæ pertinent ad reſpectivam pulsûs accelerationem. 1°. Itaque examinabimus eam accelerationem pulsûs, quatenùs ex illâ eruitur generaliſſimum illud ſignum, mox mali ominis mox boni, cognitum nomine febris, quod cùm omnibus propemodùm morbis concurrere poteſt. 2°. Agemus de diverſis febris eventibus, per ipſoſmet varios pulſus acceleratos dignoſcendis. 3°. Demùm, de diverſis febrium generibus ac ſpeciebus. Quæ tria, totidem articulis nunc perpendenda incumbunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Febris.

SICUT jam ex dictis colligere datur, febris dicitur adeſſe, quotieſcumquè pulsûs arteriarum frequentia major deprehenditur, quàm eſſe deberet comparatè ad vires muſculares voluntarias actuales. Adeòque cauſa formalis febris, ea ipſa eſt vitalis motûs acceleratio ultrà proportionem virium voluntariarum.

Talis acceleratio pulsûs repetitur ex eo præcisè, quòd cor gaudeat irritabilitate multò majori quàm cæteræ quælibet potentiæ muſculares. Nam, mediante illo exceſſu irritabilitatis, in cujus ratione directâ creatur motus muſcularis quilibet, ubi primùm certa quædam contingit interna irritatio per quam valeat cor ultrà ſolitum ſanitatis modum ſtimulari, neceſſum eſt illius actionem multò magis adaugeri, quàm actionem cæterorum quorumcumque muſculorum. Eaque reſpectiva cordis acceleratio ſemper major erit; ſeu integræ manſerint vires ut fit initio inflammatoriæ febris, ſeu virium ſumma longè minor

Ee

facta fuerit propter aliquam humorum degenerationem, ficut evenit in cafu febris ab humoribus corruptis oriundæ. In primâ namquè hypothefi, cor neceffariò exequetur celeriores contractiones comparatè ad contractiones cæterarum potentiarum mufcularium, quia illud infinitè mobilius eft; in fecundâ verò fuppofitione (irritâ humorum alteratione vires communes labefacienti), cor fufficientes femper accipiet fpiritus ad hoc ut celeriùs reagat, etiamfi fpiritus tunc deficiant refpectu cæterorum mufculorum; qui ideò mufculi tunc nequeunt æquè ac cor animari à refiduis fpiritibus, quia non funt æquè capaces animationis, utpotè qui non fint æquè irritabiles. Confequenter, quâcumque prædictâ occafione imminuatur actio voluntaria mufcularis, nihilominùs actio cordis mechanica fuperftes operabitur in ratione directâ præfentis ejus irritabilitatis; quinimò reactio illa cordis tandiù vigebit in eodem tenore, quandiù febrilis ftimuli tenor ipfe non fatifcet.

Febris ergò nihil aliud eft quàm automaticum vitæ conamen, impetratum à prædictis duabus animalis œconomiæ poteftatibus ftupendis, fenfibilitate nimirùm & irritabilitate, confideratis in ftatu fano ficut & in pathologico; impetratum, inquam, occafione ftimuli eas potentias excitantis ad reagendum, & cujus beneficio ille idem ftimulus deftruatur expellaturque, fi fieri poffit: ficque, per ipfammet vitam, vitæ reftituatur tranquillitas. Hoc itaque nobili prælio femel inito, contentione dimicatur indefinenti, quoufquè alterutri pugnanti gloria palmæ comparetur; quoufquè nimirùm ftimulus febrifer abolitus eliminetur, aut natura faltem evadat femi-victrix, fecundario duntaxat oppreffa morbo, pofthàc fortean curabili; vel & heu! quoufquè vita conaminibus irritis exhaufta pereat. Adeò ut, ficut febris fignum eft arithmeticum ac geometricum perturba-

tionis vitæ sui generis : ita & illa spontè desinat, vel in sanitatem, vel in alium morbum seipsâ leviorem, vel in mortem.

Eâ forsan mirabili vitalium motuum harmoniâ ductus Hippocrates, tùm imprimis ob phœnomena somni, putaverat rationalem animam illis motibus regendis invigilare. Hoc ita apparet ex iis quæ leguntur initio libri de insomniis (1); nec alio ut opinor consilio, Medici *Animistæ*, post Principem suum Stahalium, imaginati sunt perperàm, omnes & singulos vivente in corpore motus non excitari ab aliâ potentiâ; quæ scilicèt eos motus scienter imperet, pro momento deleterii minitantis. Quorsùm verò ad similem confugere explicationem, cùm optimè concipiatur prædicta febris phœnomena spontè patrari mediante sensibilitate & irritabilitate, consideratis in statu sano & morboso, & cognitis per facta de quibus nullus observator Medicus dubitare potest. Cavendum tamen nè auxilia medica diligentiùs negligantur, exemplo quorumdam fanaticorum propè Medicorum *expectantium*, sub spe tutioris auxilii subministrandi à mechanicis vitæ conaminibus. Multùm equidem facit natura vivens: imò plus facit quàm vulgò creditur. Sed in hoc præ-

---

(1) » Qui de his quæ per somnos contingunt rectè conjectaverit, is
» ea per omnia magnam habere vim comperiet. Animus enim vigilat ;
» & cùm quidem corpori subministrat, in multas partes divisus, suî
» tantùm rationem non habet, sed singulis corporis partibus, partem
» quamdam distribuit, sensibus nimirùm, ad audiendum, videndum,
» tangendum, ambulandum, agendum, deniquè ad omne corporis
» obsequium, adeòque ipsa mens suî solùm rationem non habet. Cùm
» verò corpus quiescit, animus movetur, & in corporis partes subrepens, domum suam regit, omnesque corporis actiones obit.

ſertim colenda eſt Medico attendenti, quòd ea ipſi tutè demonſtret quânam ex parte morbus oppugnandus ac debellandus ſit; & quòd nuſquàm loquaciorem ſimul & veraciorem ſeſe præbeat quàm in caſu febris.

Febris itaque nihil eſt niſi ſignum alicui malo latenti proportionatum, illiuſque tentandæ eradicationi naturaliter dicatum. Quæ quidem aſſertio vera eſt ac inconcuſſa, ſive febris alicui ſupervenerit malo anteà exiſtenti; ſive cùm illo nata videatur, nihil priùs morboſi ſenſibiliter apparente. Hic eſt haud dubiò primarius generaliſſimuſque febris conſpectus, ſub quo ſpontè accedit diviſio illa quæ *eſſentiales* febres dirimit à *ſymptomaticis*.

Sed præter hanc generaliorem febrium differentiam, dantur aliæ diſſimilitudines non minùs inſignes quæ repetendæ ſunt ab earum typo vario, variâque causâ, & genio vario. Ratione typi itaque, aliæ febres dicuntur *continuæ*; aliæ *intermittentes*. Ratione cauſæ, aliæ *inflammatoriæ* ſunt, aliæ *putridæ*, aliæ *contagioſæ*, aliæ *exanthematicæ*. Demùm ratione genii, diſtinguuntur febres *malignæ* & *benignæ*, quæ nihil aliud ſunt quàm peculiares præcedentium characteres. Hæc lucidiùs explanabuntur, ubi de diverſis febrium generibus ac ſpeciebus.

Quantumcumque verò febris ſignum ſit, ſua ipſi quoque ſymptomata ſunt ſeu ſigna, ſicut cæteris quibuſlibet morbis competit. Alia nempè *pathognomonica* ſeu eſſentialia: alia accidentalia ſeu per *epigeneſim* ſupervenientia, ut aiunt; id eſt, creata per vim & propagationem morbi.

Symptomata febris pathognomonica non plura ſunt. Unicum enim & ſimplex in hoc ſenſu venit agnoſcendum; nempè exceſſus vitalis motûs ſuprà voluntarias vires actuales. Ea enim reſpectiva pulsûs acceleratio deſignat febrem, abſquè ullo ſignorum aliorum concurſu.

Accidentalia ſymptomata febris ea omnia ſunt quæ ſuperaccidunt febri, tùm ratione febris ipſius, tùm ratione organorum tunc affectorum. Ideòque alia aliis graviora ſunt hæc ſigna; ſicut clariùs apparebit poſtquàm febrium cauſas expoſuerimus.

Cauſas febrem determinantes jam fas eſt perſentiſcere ex prædictis. Eæ in genere habentur in quâcumque irritatione capaci accelerare cordis actionem, dùm è contrà tardeſcunt vires voluntariæ: id eſt, illam citare actionem ultrà tenorem virium voluntariarum actualium, quibus ſufficientem ſpirituum copiam recuſat labefactata actualis conditio vitæ. Adeòque patet 1°. aliquam febris cauſam remotam exiſtere in quâcumque materiâ, quæ mole aut variâ qualitate ſuâ capax ſit ſtimulare utramque ſenſibilitatem ac irritabilitatem; adeò ut indè cor ipſum reagat, quoniàm illud cùm utrâque facultate vehementer & undiquè conſentit. 2°. Hanc cordis reactionem majorem eſſe aut minorem, pro variâ materiæ irritantis acrimoniâ, tùm prout ipſæ irritatæ partes majore vel minori ſenſu fruuntur per ſe, aut ratione ſtatûs earum pathologici; in quo ſcilicèt partes omnes sensûs capaces non ſolùm ſenſu gaudent acutiori, ſed & doloris capaces evadunt eæ ipſæ quæ tempore ſanitatis apparebant impaſſibiles. Hoc de ipſiſmet oſſibus jam videtur meritò cenſuiſſe ingenioſus Aretæus, ubi de Arthritide.

Idcircò credere fas eſt quòd ſtupenda illa viventium corporum ægrotantium facultas quæ nomine *regiminis partium* audit apud veteres melioris notæ Medicos, conſtituatur mediante prædicto ſenſu pathologico, potiùs quàm per ſenſum abſolutum ſanitati proprium; ideòque in hoc ſenſu pathologico ſtupendam hanc latere virtutem, cujus beneficio numeroſæ partes evadunt ſenſibiles ac irritabiles, per conſenſum ſuum cùm aliis partibus primitùs laceſſitis; adeò ut eæ partes ſic per morbum ſenſificatæ

& animatæ, ſuo deinceps modo valeant etiam calcar addere cordi reagenti adversùs primordialem irritationem. Haud aliter abjectiſſimus magìſque timidus civis, afflictæ Reipublicæ graviter condolet ac publicè auxiliatur, quantumvìs ignoratus fuerit dùm aderat ſumma tranquillitas pacis.

Cùm hæc omnia ſeſe ita habeant, ſequentes febris cauſæ admittendæ ſunt. 1°. Quæcumque materies alicubi inflammata; 2°. Copioſa aut variè corrupta primarùm viarum ſaburra; 3°. proprius viſceris alicujus humor huic ipſimet viſceri moleſtus factus, ſeu per ſe, ſeu propter mutatum illius viſceris ſenſum; 4°. Sanguis contaminatus humore acri retento vel reſorpto, aut viâ contagionis intuſſuſcepto; 5°. Textus cellularis imbutus quodam miaſmate inibì hærente; 6°. Deniquè, deleteria quæcumque ſubtilis aura nervos ipſoſmet penetrare ac veluti intingere capax; adeòque eorum ſenſibilitatem adaugere & conſequenter exacuere ſenſum & irritabilitatem cordis, ſimul & corporis reliqui. Ex quâ nervorum affectione videntur oriri febres nervoſæ meritò dictæ: ſed quæ ideò non ita ſunt à materie immunes ac vulgus Medicorum paſſim opinatur. Quidquid verò ſit, ſaltem meditanti facilè elucefcet, febrem ſæpenumerò creari à pluribus cauſis prædictis ſimul agentibus quæ magis vel minùs pertinaces ſint, & quæ diverſimodè afficiant unicam partem magis minùſve nobilem, aut plures ſimul.

Eæ omnes cauſæ febrium materiales ab aliis producuntur cauſis magis remotis mox exponendis, & quarum ſanè numero adſcribenda venit quælibet vivendi ratio erronea. Sed majorem earum cauſarum turbam ab anomaliis tempeſtatum anni advenire, optimus notavit Hippocrates, aph. 1 ſect. 3: *Tempeſtatum anni mutationes*, inquit, *potiſſimùm morbos pariunt, & in ipſis anni tempeſtatibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris*,

aliaque pro ratione ad hunc modum. Quod nempè ita fit, non solùm quatenùs variæ anni tempestates ficut & variæ rationes vivendi, jam per se valent accrescere aut complere diversas hominum constitutiones physicas; verùm etiam, quatenùs illæ constitutiones quâlibet de causâ creatæ, præsertim ad gradum morbosum evehantur ab ipsis anni tempestatum magnis & crebris mutationibus. Consequenter causæ illæ remotæ, tùm physicæ cùm morales, effectum suum producunt secundùm physicam hominum prædispositionem; aliis proindè nocendo, dùm aliis proficiunt. Exindèque evenit ut aliqui meliùs valeant, dùm multitudo ægrotat; & vicissim.

Docuit itaquè Priscorum observatio, deindèque physicis experimentis & ratiociniis comprobatum mansit, variam esse externarum causarum ut & moralium efficacitatem, secundùm diversitatem adjunctorum. 1°. Nempè efficaces prædictas causas esse quatenùs homines variæ ætatis, varii sexûs, variæque constitutionis tàm individuæ quàm popularis, vel aggregati, vel separatim à reliquis vivunt, vestiuntur ac nutriuntur, cùm paucis vel multis studiis, negotiis, laboribus, fortunis. 2°. In quantùm præthereà illi habitant urbes, pagos, villas, domos, casas, sylvas, montes, valles, colles, planitudines aut clivos: tùm loca alta simul & arida, aquis carentia, saxosaque, vel & concava, humida, herbosa, & benè frondosis arboribus ornata: utraque calidis frigidisve ventis variè perflata, tùm differentiùs à sole exclarata; simul accolendo vel non, lacus, paludes, fontes, rivulos, amnes, flumina, vel & mare ipsum. 3°. Demùm variè efficaces esse prædictas causas planum est, prout cùm illis concurrit diversa diversorum miasmatum contagiosorum intussusceptio.

Non aliis de causis dissimiliter combinatis & applicatis, haud

fecùs ac cæteri morbi nafcuntur febres *endemicæ*, *epidemicæ*, *fporadicæ* feu individuæ, tùm *contagiofæ*; quarum omnium hæc eft propria natura, mutuaque diffimilitudo.

Eudemicæ febres funt, quæ uno in loco regulariter graffantur quotannis, feu continuò, feu per certa dumtaxat intervalla, propter aliquot morbofas circumftantias quæ ab illo loco ferè nunquàm abfunt.

Epidemicæ feu populares, quæ certo quodam anni tempore aggrediuntur plurimos fimul homines ejufdem propè ætatis & conftitutionis; quia nempè fuprà eos aliquandiù regnavit communis aliqua caufa in victu, aut habitatione, aut veftitu: vel & in moralitatibus aut meteoris, &c.

Sporadicæ, quæ difperfos variofque invadunt homines cujuflibet ætatis & nullo non tempore accidunt, propter privatam eorum individuorum conftitutionem, natam ab aliquâ causâ ipfis propriâ, qualis repeti poteft ex habitatione, victu, artificio, veftitu, pathematibus animi, &c.

4°. Demùm *contagiofæ* febres eæ funt, quæ originem ducunt ab intuffufcepto feminio; qualia funt variolofum, morbillofum, & alia, quæ valent fibi fimile venenum reproducere, atque ita fimiles edere fructus. Nî febres illæ requirerent aliquam corporum prædifpofitionem ad hoc ut communicarentur, nifi etiam aliqui homines valerent feminium fortè acceptum mutare aut expellere: nunquàm daretur contagium ullum, quin omnes homines eodem in loco viventes caperentur. Confequenter non mirum, febres eas mox magis populares effe & funeftas, mox minùs; prout nempè hominum huic contagioni expofitorum conftitutio magis vel minùs apta eft ad germinationem nefandi feminii graffantis, fimul & ad fovendam illius virtutem frugiferam. Ideò videmus ipfafmet variolas infertas aliquandò non germinare,

germinare, moxve pauciſſimos parere fructus, mox è contrà infinitè numeroſiores. Itemque obſervatur graſſantem contagionem quamlibet, in hâc vel illâ tempeſtate anni, magis vel minùs eſſe inimicam huic vel illi ætati. Nec aliâ de causâ fit, ut eæ calamitates mox magìs generales ſint ac periculoſæ, mox minùs, ſicut in graſſante ipsâmet peſte comprobatur.

Hucuſquè indicavimus naturam febris, illiuſque generales differentias & cauſas. Nunc dicendum quænam ſint ejus ſymptomata generalia, & deindè quænam generalis diagnoſis ac prognoſis.

Quoad ſymptomata, cùm febris adventat, potiſſimùm ſi ea eſſentialis, plerumquè incipitur à majore vel minori horripilatione ſpaſmodicâ, unà cùm notabili virium corporis & animi dejectione, ſæpèque cùm adjunctis nauſeis. Talia ſunt perſpicua veluti vexilla proclamati interioris belli; quibus, eunte certamine, ſolet ſat brevì ſuccedere calor febrilis, iſque magìs vel minùs ſiticuloſus.

Calor ille febrilis aliquam propemodùm generalem irritationem deſignat, illeque ſæpè ſæpiùs pro pediſequis habet ſingulares anxietates, anteà incognitas; quæ percipiuntur paulò poſt febrem accenſam, & procedunt ab imminentibus atque jamjam fortè incipientibus aliquot ſtaſibus, quas febriles vocavimus loquendo de inflammatione ſpuriâ. Atque ideò fit, ut plerumquè pars aliqua dolore notabili corripiatur inter febricitandum, nempè prout aliquod fortè organum primitùs irritatum fuit; tùm prout illud magis aliundè aptum eſt ad aliquem patiendum decubitum, vi febrilis impetûs.

Propterea, prædictis primordialibus ſymptomatibus febris, alia benè multa & varia non rarò ſuperveniunt. Talia ſunt pervigilium, delirium multiplex, diarrhæa, convulſiones, ſubſultus,

ſudores crudi, exanthemata laborioſa. Eorumque ſecundariorum accidentium numero ſimul & gravitate, oſtenditur hanc vel illam corporis partem graviùs aut leviùs à febre oppugnari, vel & plures labefactari ſimul.

Hæc mala celeriùs tardiùſve ſeſe mutuò advocant, eaque ſemel nata augeſcunt, non ſolùm pro variâ efficacitate cauſæ febrilis, ſed & pro majore vel minori febricitantis ſenſibilitate & irritabilitate. Undè patet cur juniora individua potiùs quàm ſenilia corripiantur morbis febrilibus acutiſſimis : id eſt progredientibus paſſu multò velociori ac periculoſiori. Sed rursùs patet cur ſenes, ſuâpte naturâ minùs ſenſibiles atque irritabiles, experiantur clancularias ſtaſes febriles ſtatim quidem non laborioſas, ſed deindè difficiliùs edomandas ob virium & reactionis defectum ; quæ ſtaſes aliquandiù veluti ignorantur ab ipsâmet naturâ ſenſibili : ſed quæ deindè certiſſimam in mortem, quantùmvis tardiori gradu accedentem, deducunt.

Nè timeatis illud febrium augmentum limitibus ſuis carere. Quoniàm enim una quælibet febris ſuam plerumquè cauſam determinatam habet, quaſi juſtâ viventis ſenſibilitatis bilance ponderatam : & cùm ideò medicatrix natura ſtatim reagat ubi primùm ſatis eſt mali ad illam excitandam : non datur occaſio augmenti indefiniti. Certa dumtaxat ineſt copia materiæ febriferæ, ejuſque deleteria vis ad certum tantummodò gradum evecta; proindè certus eſt ac determinatus gradus irritationis febrilis. Conſequenter, ubi facta eſt illius irritationis evolutio, ubi commota ſunt omnia quæ valent commoveri, nihil de novo accidit ampliùs, febriſque ideò deſinit augeſcere. Hâc ratione manet aliquandiù febris in eodem ſtatu & in quâdam veluti æquilibritate cùm causâ ſuâ, ſed interim natura dimicat ; & ea quidem dimicat, quouſquè tandem, vel natura vel morbus victrix fuerit ;

ſuperioribus identidem factis viribus pugnatoris palmam reportaturi. Sed heu! ſi cauſa febrilis polleat virtute majori, ſicut fit quandò ob diſpoſitionem ægroti, malum celeriùs pullulaſcit; cùm ea tunc cauſa ſit viribus vitæ multò ſuperior, tunc quoque febris & celeriùs & indeſinenter creſcit, breviſſimo tempore in mortem abitura.

Prædicta meditanti facilè apparebit ratio cur ſymptomata diverſa ſint prout febris incipit, augetur, conſiſtit, & tandem declinat; jamque ille ſpontè quæritabit generalem febris diagnoſim. Hæc autem habebitur in actuali vitalis motûs accelerati one reſpectu voluntariarum virium; quandoquidem hæc ipſa acceleratio febris eſt. Undè nullus allucinationis metus hìc habendus; dùm Medicus aliâ febris diagnoſi contentus, perpetuò circumerrabit ab unâ incertitudine ad aliam graviorem incertitudinem; vel & febrem non agnoſceret ubi aderit: aut illam adeſſe fatebitur ubi nulla: aut quandò maxima, eam dicet leviſſimam.

Utinam febris futura prævideretur æquè facilè ac præſens agnoſcitur! Quantumvìs verò illa plerumquè per viam occultiſſimam accedat, licet quandoquè adventum ejus à longè prænuntiari. Nempè ſymptomatica imminens febris prævidetur ex gravitate actualis cujuſdam formati mali, cujus mos eſt febrem invitare. Eſſentialis verò ſimul & popularis, ex ſimilitudine conſtitutionis epidemicæ cùm conſtitutione individui conſiderandi. Sporadica, ex conſtitutione bilioſâ aut ſanguineâ, &c., ad ſummum evectâ gradum, cui & fovendæ præſentia favent adjuncta. Endemica, ex ſimilitudine conſtitutionis hominis cujuſdam cùm conſtitutione incolarum illius loci, in quo recenter ille habitat, aut in quo habitaturus eſt. Eſſentiales denique ipſas febres jam è propinquo judicare eſt ex laſſitudinibus ſpontaneis, quibus

Ff 2

morbos prænuntiari monetur aph. 5 sect. 2, præsertimque febriles.

Præter generalem diagnosim febris futuræ aut jam præsentis, utilissimum sanè foret singula dignoscere febrium tempora actualia. Quantùm indè Medicus clinicus adjuvetur & quantùm securitatis ægrotanti accedat, facilè intelligitur. At verò illud minimè impossibile est, nè dixerim attendenti facillimum. Cùm enim febres omnes principium habeant, necesse est & illas quoque finem habere; quibus sanè duobus febris temporibus competere debet proprius phœnomenorum tenor, seu proprius ut ita dicam vultus per suos characteres dignoscendus. Quoniam verò secundùm scholasticos, ut plurimùm heu! verbosiores, quâcumque in febre non solùm liceat distinguere medium tempus seu *statum*: tùm *augmentum*, inter principium & statum: & denique *declinationem* quæ sedet inter statum & finem; hinc difficillima profectò evadit quæsita diagnosis, in quantum signorum copia faciat inopiam certitudinis. Sed pro felicitate Medici & ægrotantium, supervacanea hæc est subtilior variorum febris temporum distinctio. Satìs habetur, cùm facilius sit simul & tutius tria duntaxat tempora in febribus discriminavisse; tempus nempè *cruditatis*, tempus *coctionis*, & tempus *criseos* seu judicationis.

Ad obtinendam trinam hanc notitiam seu diagnosticam, seu prognosticam, cujus ope via tutior minùsque latebrosa Medico aperiatur, consuli profectò meretur immensa signorum collectio quæ prostat in operibus Coi observatoris. Sed dolendum est quòd accuratus ille vir, metu quidpiam utile omittendi, futilia innumera adscripserit numero egregiorum; & quòd ipsi per vitam homini concessam non licuerit earum verum florem colligere, eumque porrigere Medicis libandum. Hujus selectûs defectu factum est, ut signorum suppellex adeò pretiosa passim

neglecta fuerit, imò & vituperata, propter quamdam obſcuram farraginem neceſſariò videndam in collectione promiſcuâ. Utinam quis ſufficienti patientiâ donatus & tempore ſatageret ea ſigna ſecernere ac redigere congruum in ordinem! Hinc ſanè faciliores forent prognoſes, quas ſummè difficiles eſſe monetur aph. 1 ſect. 1; & quæ tàm incertæ ſunt in acutis, ex aph. 19 ſect. 2.

Nihilominùs cognita hæc Hippocrati difficultas non debet ab hoc opere juniores Medicos amovere, ſed eos duntaxat facere cautiores. Quamvis perpauci fuerint Hippocrates, ſi quis unquàm priori ſecundus, plurimi ſaltem Medici extiterunt qui longâ obſervatione comprobaverint obtineri ex pulſu arteriarum ſigna certiſſima benè plura, divino ſeni Coaco incognita; quæ ſi addita fuerint ſignis aliis ab iſto recognitis, longè faciliorem facient artem dignoſcendi tria prædicta tempora febrium, ſimul & eam quâ opus eſt in prævidendis earum eventibus. Properemus igitur ad ſcrutationem ſignorum ex pulſu arterioſo obtinendorum.

ARTICULUS II.

SIGNA ex pulſu arteriarum obtinenda.

NUNC quæſituri ſigna ex pulſu arteriarum obtinenda in febribus, ſtatim obſervare curamus pulſum in his morbis triplici præcipuo modo mutatum ſeſè præbere. 1°. Quandò ille fit frequentior, durior, ſtrictior, remanendo tamen æqualis. 2°. Quandò evadit major, mollior, plenior, ac fortior, ſimul & æqualis. 3°. Quandò pulſus non ſolùm major, mollior, plenior, ac fortior fit, ſed & ſimul vario modo inæqualis; ratione ſcilicet magnitudinis pulſationum, tùm ratione intervallorum quibus pulſationes diſtant ab invicem.

Prima ſpecies pulſûs morboſi vocari ſolet à Medicis *pulſus irritationis*, aliter etiam *pulſus nervoſus*, ſeù nimiam ſenſibilitatem deſignans: vel & dicitur *pulſus non criticous*, qualis nempè deprehenditur inter initia & augmentum morbi.

Altera ſpecies dicitur *pulſus extenſus*, poulx développé, ut aiunt Noſtrates, *pulſus mollior*, *pulſus coctionis* ſeu *pepaſmi*; qualis neceſſariò debet præcedere quamcumque evacuationem criticam, quæ abhinc characterem verè criticum accipit. Hic pulſus in acutiſſimis vix quandoquè percipi poteſt. Sed talis jam obſervari ſolet in ſtatu cæterorum morborum acutorum, quo ſcilicet tempore materies morboſa jam aliquatenùs mutatur & mutata eſt, atque ideò diſpoſita ad aliquam evacuationem.

Tertia demùm pulſûs ſpecies vocatur *pulſus criticus*, quia ſcilicet evacuationes quaſcumque criticas concomitatur, ideoquè Medici clinici utuntur eâ teſtificatione ad legitimas criſes agnoſcendas. Hic pulſus extenſionem quidem & mollitiem *pulſûs coctionis* retinet. Verùm differt ab illo per certas quaſdam inæqualitates determinatas & conſtantes, ſicut mox indicabimus poſt obſervationes Medici de Bordeu, qui æternam in hâc parte gloriam adeptus eſt.

Si quis fortè inattentus, aut fatuus rerum vulgò abditarum oſor, haſce pulſuum thecnicas diſtinctiones falſitatis expoſtulârit: perpendat, quæſo, ſequentes obſervationes clinicas, poſteàque judicet.

Pulſus irritationis, initio febrium tam facilè agnoſcendus, ſequentia phœnomena exhibebit obſervatori.

1°. Nullam tunc evacuationem accidere niſi ſymptomaticam, quæ ſcilicet vi irritationis emuncta non ſit, proindequè gravis ægrotanti, ſive morbus adhucdùm incipiens ſit, ſive jam jam parùm provectus. Omnes enim evacuationes quæ accidunt reg-

nante tali pulſu, nihil indicant niſi humoris morboſi copiam, cruditatem & qualitatem irritantem; eæque ſæpè oſtendunt primitivam humoris hujus virtutem deleteriam nullatenùs emendari : vel & ſenſim in eo fieri aliquam degenerationem malam, admodùm debilitatem, cui refrænandæ, vita debilior plerumquè impar. Undè tales evacuationes ſunt ſemper effectus & ſignum laboris maximi, ideoquè deciperetur ille qui illas ſpectaret tanquàm criticas ſalutares. Sunt enim ſemper admodùm ominoſæ ſi diutiùs duraverint, ſæpiſſimequè mortem inevitandam portendunt.

2°. Omnes evacuationes vi pharmacorum abreptas quandiù viget pulſus ille (ſicut quibuſdam Medicis mos eſt), ſimiliter infauſtas eſſe, merè debilitantes, naturæque inimicas. Taleſque evacuationes cenſeri duntaxat utiles in caſibus aphoriſmorum 22 & 24 ſect. 1, tùm aphoriſmorum 29 ſect. 2, & 10 ſect. 4: quos hìc appellaſſe liceat, ad hoc ut concordante eorum veritate apertiùs videatur, quantùm evacuationes tempore cruditatis inſtitutæ, differant ab illis quæ poſt coctionem peractam celebrantur : & ut intelligatur quomodò de illis cenſuerit Princeps Medicorum. Legitur aph. 22 ſect. 1, *cocta medicamento purgante educito ac moveto, minimè cruda, neque per initia, niſi turgeant, multa verò non turgent.* Tùm aph. 24 ejuſdem ſectionis: *in morbis acutis raro & per initia medicamentis purgantibus utendum, idque diligenti antè adhibitâ circumſpectione faciendum.* Deindequè, aph. 29 ſect. 2, *incipientibus morbis, ſi quid movendum videatur, moveto, vigentibus verò, quieſcere præſtat.* Et denique, aph. 1°. ſect. 4, *in valdè acutis, ſi materia turget, die eodem purgandum, morari enim in talibus malum.* Porrò non liceret evidentiùs declarare, 1° quanta ſit neceſſitas *purgandi* per initia morborum acutorum, ſi modò materies tunc turgeat : id eſt, ſi copioſa ſit

& ad evacuationem prona; hic enim verus eſt ſenſus vocis *tò turgere.* Ideòque cavendum, nè in aph. 22 ſect. 1 legatur, *plurima verò non turgent*; nam hâc voce *tò plurima* excluditur major numerus ægrorum: dùm voce *tò multa,* pauci duntaxat denunciantur qui prætereà de morbis duntaxat chronicis videntur eſſe intelligendi; quandoquidem aph. 22 ſect. 1 agitur de morbis in genere, non verò de acutis, ſicut in aliis tribus aphoriſmis ibi citatis. 2°. Aliquam latitudinem admittendam eſſe ad inſtituendas congruas evacuationes initio morborum, ut apparet ex verbis *tò incipientibus morbis.* Non enim ſemper licet ægrotis medicari primâ die. 3°. Aliquandò etiam ſatis ſeram evacuationem tutam eſſe quamvis cruda ſint adhuc omnia; ſed eam eſſe inſtituendam *diligenti anteà factâ attentione*, ad hoc ut nimirùm judicetur, nùm ſub initiis neglecta fuerit evacuatio tunc requiſita: nùmve ſaburra priori addita fuerit, aut de novo creata per notabilem quemdam errorem in victu. 4°. Deniquè evacuationes medicamento purgante ducendas æquè generaliter congruas & neceſſarias eſſe ubi coctio peracta eſt; ac illæ generalibus cùm cautelis inſtituendæ ſunt, quo tempore viget cruditas deſignata per *pulſum irritationis.*

Pulſus coctionis dictus, mollitie & latitudine ſuâ ſatis differt à pulſu irritationis, ut in ſtatu morbi facilè agnoſcatur ſi talis tunc temporis acciderit. Ille enim aliundè inſignitur nonnullis induciis quas patienti vitæ jam conceſſit morboſus humor paulìſper cicuratus; ideòque pulſus ille jam melioris notæ eſt quàm præcedens. Sed prima hæc ſpei jam venientis umbra non adhuc deſignat criticam evacuationem ullam determinatam. Oſtendit duntaxat generalem quamdam diſpoſitionem ad utiles evacuationes, in quantum pollicetur morboſi humoris coctionem deindè abſolutum iri ſi vires vitæ valuerint, ſicut requiritur ad

hoc

hoc ut criticæ contingant evacuationes. Consequenter, in constanti pulsûs coctionis continuitate, Medici clinici recognoscunt optandissimum signum coctionis mox mox absolvendæ, & quâ absolutâ licet exspectari evacuationes certò criticas. Si quis consideraverit quanto cùm labore Hippocrates sit indagatus minutiora similis significationis fragmina in omnigenis phœnomenis morborum: si fuerit contemplatus quantâ cùm difficultate feratur judicium ex collatis rebus innumeris eruendum: nonnè lætabitur quòd, ex solâ pulsûs coctionis constantiâ, obtineatur veracissima coctionis significatio, cæteris aliis quibuslibet multò simplicior & multò facilior observatu, quæ præterea per se sola sufficiens sit? Saltem semper mihi visum est alia quæcumque parvula signa coctionis semper adfuisse, ubi pulsus coctionis constanter adfuerat.

Porrò quid magis utile, præsertim in acutis, quàm illud signum sine quo nulla optima critica terminatio exspectari liceat? Nam, ut optimè notat Hippocrates, loco citato ubi de resolutione agebamus: *Quæcumque absquè judicationis significatione disparent, malè decernunt.* Quoniàm, ut alibi ait, quotidianâque probatur experientiâ, *Quæ...... præmaturam judicationem dùm cruda sunt omnia occupant, morborum recidivas convehunt, & solutionem omninò malam, aut propè nullam.*

His de rationibus, ad hoc ut quædam evacuatio habeatur capax quempiam morbum acutum legitimè terminare, illa paulò antè prænuncietur necesse est à constanti pulsu coctionis. Sed præterea observatur evacuationes criticas mox mox adventuras esse, quandò vigente constanti pepasmo aliquot jam apparent indicia pulsûs critici, quæ tunc temporis varia per intervalla admiscentur pulsui coctionis, aliquibus veluti primitiis talium evacuationum simul apparentibus. Quinimò ex eo quòd earum

evacuationum primordia ſuboriantur certis diebus (*indicatoribus* dictis apud Medicos veteres), fortè etiam licèt certiùs augurari perfectam criſim aliquâ die determinatâ futuram eſſe. Illi dies indicatores recenſentur aph. 24 ſect. 2, ergà terminationes acutorum quas trium ſeptimanarum ſpatio frequentiores abſolvi compererat antiquitas, ſicut hodiè comperitur. *Quartus ſeptenariorum index eſt. Octavus alterius ſeptimanæ eſt principium. Undecimus etiam ſpectandus dies , ipſe enim ſecundæ ſeptimanæ quartus eſt. Rursùs quoque ſpectandus decimus-ſeptimus , hic enim eſt quartus à decimo-quarto , ſeptimus verò ab undecimo.*

Quæ cùm ita ſint, meritò diſtinguitur *pulſus coctionis* ad indicandas poſſibiles terminationes febrium criticas, quoniàm ipſe ſpontè deinceps abit in tertiam illam pulsûs ſpeciem quæ audit nomine *pulsûs critici*, cujus character nunc examinandus accedit.

Nempè, poſtquàm pulſus coctionis notabili tempore conſtanter apparuit : id eſt, quandò pulſus aliquandiù fuit *mollis*, *explicatuſque & fortis*, illeque deindè ſimul evadit aliquo modo *inæqualis* & eam inæqualitatem determinatam retinet, tunc habetur *pulſus criticus*. Sic vocatur ille pulſus eò quòd ab illo donetur proxima diſpoſitio ad hanc vel ad illam evacuationem criticam determinatam, prout ille perpetuò ſervat hanc vel illam determinatam inæqualitatem. Docente itaquè obſervatione, inæqualitas alia pulsûs deſignat criticam evacuationem futuram per ſputa : alia per nares, per vomitum alia : alia per ſeceſſum, &c. ſicut apparet in obſervationibus benè multorum in Europâ Medicorum.

Hæc facta in acutis præſertim morbis datur advertere, ſimiliaque forſan in omnibus obſervarentur, ſi liceret per ſufficientem peritiam & experientiam. Quidquid ſit, cùm ſaltem Medicus

queat ab hoc egregio ſimul & ſat facili ſigno accipere plurimum lumen in tractandis morbis febrilibus magis diſcriminoſis; indè fas eſt reſolvere quantæ utilitatis ſit attentè obſervare ac conſulere illud vitæ ægrotantis phœnomenon. Hujus auxilio licebit ad minimum certè cognoſcere critica frequentiorum morborum frebilium molimina, illiſque congruenter obedire vel & opportunè auxiliari, ſicut aph. 21 ſect. 1 præcipitur his verbis: *Quæ educere oportet, quò maximè vergit natura, eò ducito, per loca convenientia.* Si Medici omnes utili hoc dogmate (omniumque forſan magis comprobato) imbuti eſſent, tot eorum non viderentur qui, nullo alio prælucente face præter cæcam conſuetudinem aut ſegniſſimam imitationem, nullo non die formati morbi febrilis jubent pharmaca purgantia, vel & continuò naturam perturbant præſcriptis apoſematibus emetiſatis aut repetitis clyſmatibus: ita ſæpiùs non verendo infernam inſtituere evacuationem, ubi natura molitur criſim ſupernam, aut exequendam viâ ſudoris vel urinarum. Sapientiùs ergò agunt qui priùs interrogatâ trium prædictorum pulſuum naturâ ſeſe gerunt, præterquàm quòd exemplo primi præceptoris attendant, nùm evacuationes ſpontaneæ facilè ferantur, necne; nùmve prænunciatæ fuerint aliquo die indicatore, aut acciderint quibuſdam diebus criſimis.

Hæc prælibaſſe ferè ſufficeret de naturâ & ſignificatione ſignorum obtinendorum ex pulſu in febribus obſervato, ſicut & de utilitate illius obſervationis in factitandâ Medicinâ. Sed ad majorem dictorum intelligentiam juvabit hìc diſtinctis paragraphis diſceptare 1°. nùm quædam rationabilis aſſignari queat theoria pulsûs *irritationis*, *coctionis* & *criſis*? 2°. Quinam numerò dies præcisè critici ſint ſecundùm Hippocratem? quem in hâc parte ſibi contradixiſſe aliqui paſſim contenderunt.

§. I.

THEORIA pulsûs irritationis, coctionis & crisis.

ALIQUIS forsan regeret, pulsum irritationis, coctionis & criseos tot tantisque emolumentis suprà illustratum, meram esse hypothesim factis clinicis prorsùs destitutam, nullâque suffultam theoriâ saltem probabili. Respondebimus non parvam quidem difficultatem latere in quæstione hujus generis; sed non veremur hìc nostram opinionem proponere. In re tam obscurâ, satiùs mihi videtur aliquam saltem attulisse dubitationem & verosimilibus ratiociniis locum dedisse, quàm frigidam fateri ignorantiam. Quibusdam fortè placebit me conatum fuisse quadantenùs probare *à priori*, ut aiunt, id quod de facto jam comprobatum est indubitatis observationibus multorum clarissimorum Medicorum, præter eas quas celeberrimus olim de Bordeu protulit post Galenum, Solanonem *de Luques*, & Nihelium. Videamus igitur per partes, quomodò tres prædictæ pulsûs species physicâ sub imagine aliquatenùs valeant repræsentari.

1°. Pulsus irritationis sat facilè, ut opinor, intelligentiâ & ratione comprehenditur. Dicimus eum necessariò creari occasione irritamentorum toti & parti cuilibet illatorum à quâcumque materie copiosiore aut degeneratâ, ubi ubi stagnante, & secundùm naturam suam irritante. Haud difficiii cogitatione perspicitur actionem cordis multifariam immutatum iri, quoties prædictâ de causâ illud organum plectetur, simul & universum viventis corporis systema.

Quâ ratione valeant irritamenta adeò generalia excitari in corpore ægrotante, non liceret ullo modo concipere, nisi

corpus vivens aliter ſenſificaretur & animaretur dùm ægrotat, quàm dùm ſanum eſt. Quamvis plurimæ ſani corporis partes videantur in experimentis inſenſibiles, tùm plurimæ ſenſu valdè obſcuro donatæ, plurimæque nullo prorsùs ſenſu gaudentes & irritabiles: exindè nihil mihi videtur concludi poſſe ergà ſtatum corporis pathologicum, ſicut plurimis placuit Scriptoribus poſt Hallerum. Quemadmodùm corpori viventi congruit varia illa ſensûs & irritabilitatis partitio dùm ſanum eſt: ita maximè ipſi opportunum, ſingulas ejus partes vario modo ſentire & moveri in morbo qui ſtatus eſt ſanitati oppoſitus, in quo proindè id proficere valeat, quod noceret in alio.

Itaquè ſi conſideraverimus ſanitatem, hic erit noſtræ attentionis fructus; quòd nempè mediante vario gradu ſenſibilitatis & irritabilitatis (qui ad nihilum vel propè nihilum reſtringitur ergà diverſas corporis fibras & organa), illud ipſum corpus vivens & ſanum fruatur debitâ aptitudine ad functiones ſuas exequendas abſquè ullo incommodo. Nimirùm muſculi contrahuntur, moventur artus, liquida varios viſcerum meandros perluſtrant, cor indeſinenter palpitat, pondus corporis haud ægrè fertur ab illius baſi, alimenta etiam piperata ſtomacho placent, innumeraque ſimilia phœnomena innumeris in locis patrantur, abſquè quòd ullibi percipiatur aliqua incommoditas vel levis.

Contrà verò, ſi partes omnes & ſingulæ eumdem haberent gradum ſenſibilitatis & irritabilitatis dùm viget ſanitas, ac dùm morbus adeſt: ſi omnes æqualiter ſenſificarentur ac movere ſeſe valerent tunc temporis: nonnè exhinc ſanitas ipſa perpetuam experiretur turbam? nonnè omnes corporis actiones dolorem varium continuò excitarent? nonnè ipſamet palpitatio cordis ſimul & motus ſanguinis & humorum per vaſa ſua

perpetuo fremitu & concuſſu intolerabiliter horrerent? adeò ut corpus animatum non poſſet vivere, neque vivendo agere quidquam, abſquè dolore, abſquè perturbatione.

Mutatur ergò ſtatus organorum, vel & ſimpliciorum fibrarum quandò ægrotant, cùm tunc temporis ſenſationes anteà incognitas patiantur. Mutatur inquam hic ſtatus organorum quorumvis, ſive quandò in ſeipſis quidpiam mutatum habent, ſive quandò plectuntur à corpore inſolito. In primâ enim hypotheſi mutantur eorum organorum phyſicæ relationes cùm rebus obviis: in alterâ, mutantur eædem relationes obviarum rerum cùm organis. Conſequenter, mutato eorum omnium mutuo contactu mutuâque commotione phyſicâ, mutari & neceſſe eſt effectum illius commotionis: proindèque novas tunc contingere perceptiones. Haud aliter lumen, oculis amicum dùm valent, eoſdem vulnerat dùm ægrotant: & ſimiliter, intenſo duntaxat lumine oculi dolent, quamvis ſani. Dicimus ergò quælibet organa, ut & fibras, in ſtatu morboſo donari ſenſu accidentali & auxiliatore, necnon aliquâ irritabilitate ab eodem ſtatu inductâ. Quæ proprietates pathologicæ illis ipſis organis & fibris æquè propriæ ſunt tunc temporis, ac propriæ ſunt aliæ eorum facultates dùm ſanitas adeſt. Ideò eæ partes in morbo capaces evadunt oſcillationis novæ novique ſenſûs, iiſque facultatibus anteà opportuniſſimè ſilentibus fruuntur, & quidem maximâ cùm utilitate. His enim, mediantibus organa illa acquirunt aptitudinem ad percipiendas præſentis ſtimuli novi irritationes, ſimul & ad reagendum ac reluctandum adversùs oblatum ſtimulum, ad hoc ut ille tandem tollatur ac deſtruatur: non parùm quoque favente phyſicâ mutatione quæ in humoribus morboſis inducitur, propter extraordinariam eorum librationem, calorem, & cauſticitatem. Alioquì quæcumque pars

corporis viventis, quæ demisso duntaxat sensu vel nullo donatur dùm sana est, impunè sineret sese obstrui, divelli, erodi: ideòque corpus animatum, occasione innumerorum morborum, foret spelunca omnigenarum infirmitatum reconditarum, planèque ignoratarum. Consequenter, variis vitæ organis clandestino impedimento sensim captis, homo pedetentim privaretur facultatibus suis & quidem inscius; illeque tandem sinè præviâ monitione ullâ, particulatim evaderet incapax actionum suarum & vitâ fungeretur: nec ulla mors foret, nisi repentina.

Concepto verò quòd corporis animati partes publicâ sensibilitate & irritabilitate gaudentes, ut & eæ quæ illis facultatibus videntur orbatæ, novam normam existendi acquirant per morbum: tunc corpus vivens valet sibi ipsi mechanicè invigilare. Nimirùm, quatenùs mediante sensibilitate & irritabilitate suâ pathologicâ capax fit res novas sentire, percipere nocuas, simul & invocare ac determinare salutiferum vitæ integræ auxilium, cujùs beneficio inimicum suum depellat.

Itaquè stupendum illud auxilium universale flagitari atque obtineri, altera statûs pathologici consequentia est. Hoc fit mediante mirabili illo consensu & mutuâ conspiratione quæ vigent inter omnes & singulas corporis partes ægrotantes; cùm nulla tunc sit quæ utiliter non sentiat, & nulla quæ non moveatur pro generali microcosmi emolumento. Qui consensus, non solùm inter cor & cætera organa datur: sed & mutuus est inter varias omnes corporis partes, seu vicinas seu quodam officio relativo fungentes, vel & aliâ abditâ ratione hanc habentes facultatem. His meditatis, licet animo capere quid fortè reipsà sit *regimen* organorum de quo jàm pluries locuti fuimus; quod à Medicis veteribus optimè perspectum fuit per effectus suos, quamvis minùs cognitum; sed quod gratius est admittere, quandò aliquatenùs concipitur.

Quia verò nullum physicis in rebus factum sit, quod alteri natales non præbeat. Ubi regimen illud organorum debilius evadit, prout fibrarum mobilitas deletur ab accedente rigiditate senili : tunc necesse est proportionaliter imminui salutiferam illius reactionem. Propterea senum morbi sunt magis chronici, seu partes eorum, ut ita dixerim, magis tolerantes : ideòque, nec morbi eorum febriles sunt æquè vividi ac in junioribus. Sed heu ! ii hoc ipso fiunt minùs sanabiles magisque lethales ; vel &, si fortè curentur, ea curatio difficillimè obtinetur mediante perfectâ coctione & depuratione. Consequenter, quædam sæpiùs remanent post eos morbos reliquiæ, ut plurimùm singulares, à quibus recidivæ quandòque nascuntur, aut variæ ægritudines chronicæ, quibus sæpè commoriendum.

Prædictis omnibus de statu partium pathologico ita se habentibus, quid mirum actionem cordis variâ sympathicâ modificatione mutari occasione stimulorum variis partibus illatorum ? Quid etiam mirum, si partes ipsæ corporis ægrotantis (tunc varium stimulum topicum aut sympathicum experientes, ideòque sensificatæ & animatæ præter sanitatis consuetudinem), valeant vitali cordis motui peculiariter resistere simul & imperitare ? Undè intelligere est, quarè pulsationes arteriarum quæ sunt in sanitate *molles*, *æquis intervallis distantes*, *liberæ*, *nec frequentes*, *nec lentæ*, *& tamen fortes* : fiant è contrà *citatiores*, *acriores*, *duriores*, *veluti formicantes*, (& idcircò nimiam sensibilitatem redoleant sicut proprium est *pulsui irritationis*) : quotiescumque viget pathologica stimulatio reciproca inter cor, variasque corporis partes ? Quæ *pulsûs irritationis* qualitates, conamen vitæ lacessitæ ac reagentis indicantes, tandiù igitur duraturæ sunt cùm æquali perturbatione, quandiù tanta dabitur irritatio.

Ex his vitæ phœnomenis attentè ponderatis nonnè licet colligere,

colligere, cur vivens natura quandòque exhausta succumbat sub nimiis irritamentis post conatus æquè inutiles ac enormes? Cur aliàs hæc dimicatio vitæ longior sit, tandiù nutante victoriâ? Cur demùm vitalis reactio, tàm in solidis quàm in fluidis diversimodè motis consideranda, aliquandò tandem superior evadat, ideòque paulò fatiscant phœnomena bellicosa quæ ab irritatione producebantur? Non aliâ enim de causâ contingit urgentis febrilis impetûs relaxatio, quæ ipsa est optandum felicis *coctionis* seu *pepasmi* inchoamentum, quo sponte adducitur *pulsus coctionis* mox considerandus.

Pulsus ergò *coctionis* dictus, id est pulsus magis extensus, simul & mollior factus, nihil aliud est quàm justa indicatio minoris vitæ perturbationis, ejusque tranquillitatis jam jam advenientis; quandòquidem tunc jam minùs degeneres sunt arteriarum pulsationes. Quæ jucunda resurgentis tranquillitatis vitæ aurora citiùs elucet aut tardiùs, prout facilior est aut difficilior mutatio instrumenti irritantis; ideòque illa prima lux maturiori ortu suo indicat sanationem maturiorem: tardiori tardiorem, tardissimo difficillimam fortèque nullam.

Hæc pulsûs coctionis significatio indubia est. Quemadmodùm enim cordis & arteriarum pulsationes characterem irritationis induerant eò quòd humorum qualitates mutatæ fuissent, indèque fuisset perturbata generalis viscerum animalium concordia: ita & character ille irritatus deleri debet seu magnoperè mitigari, ut veriùs loquar, quandò motus vitæ jam non nihil accedit ad tenorem sanitatis, vel saltem ab illo jam tantoperè non recedit: quia scilicet humores jàm paulò meliores facti sunt, jamque imminutus sensus organorum pathologicus, & consequenter mitigata febrilis irritatio. Antè illas inducias pulsus erat *nervosus*, *formicans*, irritatus, talemque eum deprehendebamus

per initia morbi, ut & per augmentum ejus. Nunc verò apparet *extensus* & *mollis*, illeque verus factus est *pulsus coctionis*; qui dùm ita percutit tactum observatoris, ipsi pollicetur majorem rerum progressionem in melius; quatenùs nempè crisis quædam abhinc exspectetur, quin tamen adhuc assignari liceat quânam viâ obtineri possit.

Cavendum tamen est, nè quælibet pulsûs arteriarum emollitio accipiatur pro signo coctionis. Illa ut sit bona, aliundè fulciri debet cæteris signis pro ratione melioribus. Deciperetur ille qui laudaret hanc perfidam pulsûs mollitiem, seu potiùs flacciditatem ac veluti inanitatem, qualis accidit aliquandò dùm omnia desperata sunt; dùm nempè, omni propemodùm sensibilitate & irritabilitate deletâ, deletoque proindè omnium partium regimine, jam nullus percipitur stimulus pathologicus, nullaque ampliùs exercetur actio ab illâ perceptione dependens. Tunc enim, omnibus partibus jam penè mortuis, supersunt mechanicæ duntaxat cordis contractiones, quas longè tardiùs deserit, quia illud ab irritabilitate suâ longè tardiùs deseritur. Pulsum verò tunc temporis mollem esse & flaccidum, nihil est cur demiremur. Sanguis enim tunc à corde projicitur in canales omni reactione destitutos, sicut & omni sensu: proindèque nullam sympathicam in pulsu mutationem ille facere potest. Hujus pulsûs mollis ac mortiferi frequentissimum habetur exemplum in febribus continuis desperatis. Sed frequentiùs observatur in hominibus graviori apoplexiâ tentatis, dùm mox mox morituri sunt. In eis enim, ob syderationem generalem sensûs & motûs, flaccescunt pariter arteriosi tubuli; iique ideò capaces duntaxat fiunt pati mechanicam distensionem tunc facillimè inducendam à corde, utpotè quod potentem adhuc actionem mechanicam exerceat, dùm partes cæteræ sunt prorsùs inertes.

Non omnis ergò pulſus mollis extenſus & æqualis ſpectandus venit tanquàm pulſus coctionis; ſed ille duntaxat qui ſimul in ſe ipſo aliquod præbet robur & qui, ut jam monitum eſt, aliundè fulcitur ſignis quibuſdam utilibus. Hoc itaque ſolo pulſu perſeverante fas eſt bonam humorum elaborationem ſperare, ab eoque indicatur generalis quædam diſpoſitio ad aliquam evacuationem utilem. Sed illud ita apparet quin tamen cognoſci adhuc poſſit quânam viâ hæc evacuatio ſit exſpectanda. Ea incertitudo tollitur duntaxat, quandò prædicta mollis æqualitas pulsûs tandem abit in aliquam inæqualitatem determinatam & conſtantem. Nunc ergò videamus utrùm aliquatenùs concipi poſſit, quarè & quomodò pulſus coctionis criticus fiat evadendo inæqualis.

Abſtruſa quidem ratio theoretica pulsûs critici: id eſt, ratio cur molli & æquali pulſui coctionis ſuperaccidat varia inæqualitas, mox ergà magnitudinem pulſationum ejus, mox ergà earum pulſationum intervalla; neque magis patet cur inæqualitas aliqua determinata, aliquam determinatam evacuationem criticam infallibiliter indicet. Sed illa obſervatio non indè minùs certa & comprobata habetur. Quinimò, pariter liquet unum genus inæqualitatum pulsûs pertinere ad evacuationes criticas per ſuperiora exequendas: alterum, ad evacuationes infernas; quæ partitio optimè convenit cùm ſpontaneâ naturæ curatricis tendentiâ. Morbi enim partium ſuprà diaphragma poſitarum, naturâ duce curantur per ſputa, exſcreationes, vomitiones, aut hæmorrhagias ſupernas; & viciſſim, partes infrà diaphragma poſitæ ſanantur per evacuationes infernas. Non aliâ de causâ ſancitum eſt aph. 18 ſect. 4, viam ſupernam eligendam eſſe aut infernam in evacuationibus artificialibus inſtituendis, dùm partes affectæ illis indigent; huicque dogmati, ut opinor, nullus Medicus attentus refragatur.

Prædictæ igitur duplici naturali tendentiæ congruit duplicem in genere pulsum criticum dari, unum nempè *superiorem* dictum: alterum *inferiorem*; quia nimirùm prior dicatur renunciandis moliminibus criticis partium suprà diaphragma sitarum : dùm posterior pertinet ad partes diaphragmate inferiores. Quomodò illi duo pulsus cognoscantur, nunc quærendum.

Secundùm observationes accurati Medici de Bordeu, tales sunt eorum duorum pulsuum proprii characteres. Pulsus *superior* dictus notatur imprimis quâdam reduplicatione præcipitatâ quæ advertitur in quibusdam arteriæ pulsationibus, & quæ revertitur per intervalla longiora aut breviora. Ea pulsantis arteriæ reduplicatio nihil esse videtur, præter unam pulsationem in duas veluti pulsationes divisam; quæ scilicet fieri concipitur, quasi daretur quædam morula in medio pulsationis unius, quæ ideò fit per duos ictus distinctos & distributè contingentes in eâdem cordis contractione. Pulsus verò *inferior* characterem suum generalem desumit ex inæqualitate alterius generis; nempè ex inæqualitate sensibili pulsationum inter se quoad robur, simul & quoad earumdem media intervalla, quibus veræ quandòque constituuntur intermissiones, tactu etiam minùs erudito percipiendæ. Prætereà in eodem pulsu aliquandò persentiscitur quidam subsubtus, gallicè *sautillement* apud Medicum de Bordeu; qui subsubtus arteriæ multùm juvat in distinguendo charactere *pulsûs inferioris*: aliundè quoque dignoscendi, ex eo quòd nunquam ille sit adeò explicatus (*aussi développé*) adeò mollis, adeò sibimetipsi similis ac pulsus superior.

Si quis quæsierit quomodò, adventante crisi, producatur pulsus *superior* dictus, tùm pulsus *inferior*? & quomodò ab invicem ii differre possint, quamvis ambo pariter critici sint? Respondemus nihil quidem certum haberi circà illud phœnomenon,

nisi ipsiusmet phœnomeni certitudinem. Quia verò juvatur intellectus quandò mens valet percipiendarum rerum aliquas sibi facere imagines: hanc meam opinionem lubens referam. Etiamsi minimè demonstrata sit, ea saltem vero videbitur similis; eaque prætereà incapax erit tyronibus dare ansas errorum, quoniam nititur aliis ideis practicis quas, me herclè, rationales dixerim, aut ego fallor.

Cùm nempè semper existat aliqua morbifera materies omnibus in febribus terminationum criticarum capacibus, quæ materies magis vel minùs copiosa sit, magisque vel minùs inepta ad contrahendam unionem cùm humoribus diversa cola perlustrantibus, quandiù cruda est: cùm materies hæc tandem mutetur, seu coquatur ut aiunt, mediante calore febrili simul & beneficio propriæ caussticitatis suæ: cùm ideò materies sic mutata, jam queat admisceri variis determinatis humoribus vel & ipsimet duntaxat sanguini rubro variis partibus destinato, pro adeptâ quâdam cùm illis similitudine: & cùm eadem materies, prædicto modo præparata & disposita, forsan colligatur non nihil circà cloacam ipsi destinatam, id est circà idoneum emunctorium, antequàm eliminetur; nonnè ex illis factis licet sequentia resolvere? 1°. Quòd peculiaria organa, variis excretionibus faciendis dicata, debeant magis vel minùs titillari, quoties incipiunt frequentari aut constanter frequentantur à materie febrili concoctâ, quæ accedit unà cùm excrementitio humore illis organis proprio cùm quo illa expellitur: tùm quoties sanguinis portio distincta quæ ad varias partes corporis appellit, referta est miasmate quodam febrili, beneficio mutuæ affinitatis per ipsam febrem acquisitæ; 2°. Quòd illa organa hoc ipso facto debeant diversimodè sensificari & animari, adeòque peculiares producere pulsûs modificationes; quæ sint naturalia eorum

organorum emunctoriorum vexilla, quoties humori peregrino transitum concedunt : aut quoties aliquam expellendi humoris stationem circà se patiuntur.

Sed restat ut dicamus, quarè pulsus criticus in genere evadat inæqualis; tùm quarè pulsus criticus *superior*, ut ut inæqualis sit, discrepet tamen à pulsu critico *inferiori*: quarè inquam, inæqualitas unius differat ab inæqualitate alterius.

Secundùm ea quæ proposita sunt de adventu humoris cocti ad excretoria organa diversa (quæ sunt totidem animati corporis cloacæ), facilè concipere est quòd hic affluxus & transitus valeat diversimodè afficere cor propter ejus consensum cùm cloacis illis : quod proindè illud diversimodè affectum, diversimodè etiam agere seu contrahere sese debeat : atque ita *inæquales* exequi *contractiones*, à quibus variæ pulsuum criticorum *inæqualitates* necessariò producantur. Sed ad hoc ut aliquatenùs quoque concipiatur, quarè pulsus tunc temporis sensibilem contrahat inæqualitatem diversam prout cloacæ suprà diaphragma sedent, aut infrà, attendere ad sequentia oportet.

Nempè, quandò ex gr. cloacæ supernæ titillantur ab humore critico ad eas appellente, tunc necesse est partes viciniores, (aliasque omnes ejusdem corporis regionis), aliquo modo per consensum affici, sensificari, mutari : dùm infernæ partes è contrà quiescunt; sicut vicissim quiescunt partes superiores, dùm infernæ laborant. Exindè fit, ut non solùm tota superior corporis regio majorem tonum acquirat reagendo, magisque ideò animetur, sicut id apparet ex majori vultûs rubore tunc temporis contingente; sed & accidit, ut partes illæ corporis superiores (magis resistentes sanguini à corde propulso, prout major copia critici humoris ad illas appellit), eâ in proportione quamdam producant sanguinis restagnationem versùs cor, ad quòd proindè sanguis

redux folitâ cùm facilitate nequit etiam appellere. Cùm verò his de causis cor nequeat ventriculos suos solito modo exonerare per singulas suas contractiones, sæpè accidit ut ii ventriculi, (tunc impotente nisu suo velut semi-vacuati), cogantur reliquâ suâ contractione reagere ad hoc ut sufficienter depleantur. Adeòque, cùm in hoc casu columna arteriosi sanguinis sæpissimè percutiatur duplici ictu, necessum est contractiones cordis ita modificatas notari totidem *reduplicatis* arteriarum pulsationibus, in quibus consistit character *pulsûs superioris.* Haud aliter canales flexiles vulgaris antliæ reduplicato pulsu ferirent manum observatoris : si hujus antliæ embolus in unâ suî vibratione pelleretur impetu diviso per mediam morulam, instanti vel minimo minorem.

Quoad pulsum criticum *inferiorem*, ille inæqualis est, sicut pulsus *superior.* Sed illius inæqualitatis hic est character, quòd aliquæ pulsationes aliis debiliores sint, imò & sæpè intermittentes: dùm pulsationes *pulsûs superioris* sunt inæqualiter *reduplicatæ.* Hæc inæqualitas *pulsûs inferioris* pendet quidem ab aliquâ singulari motûs cordis interpolatione, sicut & ea inæqualitas quæ *pulsui inferiori* propria est. Sed illa diversa fit propter diversitatem adjunctorum quæ hæc sunt, & quorum influxus sic concipitur. Nempè pulsationum inæqualis vigor & intermissio *pulsûs inferioris*, videtur procedere ex eo quòd tunc non fiat æqualis ac sufficiens regressus sanguinis ad cor per venam cavam, quo valeant proritari æquales & constantes cordis contractiones.

Dùm itaque viscerum inferiorum cola jam incipiunt accipere febrilem materiem coctam excrementitio suo humori unitam aut adhærentem sanguini ipsis proprio secundùm diversas motûs projectilis leges : à fortiori, quandò illam materiem urceatim

affluentem tranſmittunt : neceſſariò contingit in illis viſceribus ſingularis & nova ſenſificatio & titillatio, ſingulariſque ibidem expergiſcitur irritabilitas, ſicut dictum eſt de viſceribus ſupernis. Qui novus modus ſentiendi & agendi, non ſolùm ſpectat & erigit viſcera criticam tranſmittentia materiem, ſed & pariter ad reagendum allicit cætera ejuſdem regionis organa; nam cùm illis omnibus ſocia eſt malorum ut & bonorum communitas, ſeu propter vicinitatem aut continuitatem, ſeu propter analogiam officii, ſeu propter conſenſum pathologicum. Quapropter omnes & ſingulæ hujus regionis inferioris partes (ſic occupatæ quodam communi eventu & officio), debent incaleſcere ac turgere non nihil, haud ſecùs ac notatur turgeſcere & incaleſcere vultum, quandò imminet & abſolvitur quædam criſis ſuperior. Proindè per hæc communia molimina naturali viſcerum inferiorum *regimini* propria, neceſſariò offeruntur varia ſanguini venæ cavæ inferioris remoramenta, præſertimque ſanguini abdominali; quinimò quædam fortè creantur hinc indè conſtrictiones automaticæ diaphragmatis, propter impreſſiones quas experitur propè tranſitum venæ cavæ, tùm propter communionem peritonei quo ſubtùs inveſtitur : dùm ſimul fit præterea notabilis derivatio verſùs cola quæ irritantur à materiebus per hæc inferna loca affatim transfretantibus.

Porrò facilè intelligere datur, his in circumſtantiis retardari aſcenſum ſanguinis venæ cavæ, eumque variâ modulatione affici, ut ita dixerim : magis fortè quàm primo conceptu putaretur; adeòquè iiſdem de cauſis deficere ſolitam ſanguinis copiam in auriculâ dextrâ cordis, quæ foveat ſolitas & æquabiles vitalis hujus muſculi contractiones. Datâ igitur aliquâ imminutione in aliquibus cordis actionibus, nonnè pulſationes arteriarum inæquales fieri neceſſe erit quoad robur earum? Nonnè &

aliquot

aliquot intermittentes erunt, quandò ſufficiens erit ſanguinis imminutio in auriculâ prædictâ, ad hoc ut ſilere cogatur una cordis contractio, vel ut aliqua ſaltem fugiat ſenſum tangentis digiti, præ nimiâ ſuâ debilitate? Conſequenter, in hoc adjunctorum ſtatu aliquot exploratarum arteriarum pulſationes hinc indè debiliores erunt interdùm, imò & varia per intervalla intermittentes: ſicut de facto requiritur ad conſtituendum *pulſum criticum inferiorem*, cui explicando incumbebamus. Nec aliter accidit pulſum inæqualis roboris eſſe aut ſenſibiliter intermittentem, quandò ſanguis versùs partem quamdam potenti dolore allicitur; ut & quandò fit alicubi conſtans aliqua ſanguinis effuſio: quæ, quantumvis levis fuerit, valet tandem adducere deliquium animi, quia tandem ſanguinis penuriam facit in auriculâ dextrâ cordis. Quotiès accidit, hoc ſimplici artificio magnam hæmorrhagiam ſiſtitam fuiſſe!

Sed quidquid ſit de allatâ explicatione theoretico-practicâ pulſûs critici, tàm *ſuperioris* quàm inferioris: eam, ut ſpero, æqui bonique conſulent quicumque ab omni præjudicatione vacui erunt. Nunc ſupereſt ut moneamus quòd pulſus criticus *ſuperior* non ſit unus in ſuo genere, ſicut nec *inferior*; ſed quòd plures uterque agnoſcat ſpecies. Itaque in *pulſu ſuperiori* diſtinguitur pulſus *pectoralis*, *gutturalis*, & *naſalis*: quatenùs pertinet ad criticas evacuationes futuras ex naribus, ex gutture, ex pectore; pariterque in *pulſu inferiore* diſcriminatur pulſus *ſtomachalis*, *inteſtinalis*, *hepaticus*, *uterinus*, *hæmorrhoïdalis*: tùm ille qui criſim per urinarias vias futuram indicat, &c.

Quinimò annotandùm eſt omnes prædictas *pulsûs ſuperioris* ſpecies inter ſe mutuò componi poſſe: ſicut pariter variæ *pulsûs* inferioris ſpecies mutuò quandoquè complicantur; prætereàque pulſum unum *ſuperiorem* quandoquè immiſceri cùm aliquo ex

pulſibus inferioribus : & viciſſim. Quæ pulſuum criticorum complicatio toties accidit, quoties duplex ejuſdem corporis regionis cloaca uno eodem tempore pervaditur; vel cloaca unius regionis, perindè ac alterius. Adeò ut his in caſibus non facile ſit, niſi digitis admodùm eruditis, diſtinguere illas variorum pulſuum conjunctiones & certò judicare quænam teneat dominationem: quænam proindè criſim ſibi propriam productura ſit, necnè.

Quoniam verò minimè aggredimur tractatum de pulſibus, & quia duntaxat connitimur indicare utilitatem hujus doctrinæ, ſuperſedebimus deſcriptioni variarum pulsûs ſpecierum; quam in operibus Doctoris Pariſienſis de Bordeu reperire datur exactiſſimè depictam, & quidem methodo, ni fallor, aliis longè anteponendâ. Hanc ex ſcriptis Galeni extorſam dicent forſan aliqui : eſto. Sed Herculeum ſanè opus erat in dilucidandis Pergameni Medici diſſertationibus.

Hìc tamen juvabit addidiſſe delineationem pulsûs ſudorem criticum indicantis, utpotè qui peculiarem mereatur attentionem. Ille enim eſt quidam veluti pulſus generalis, ſaltem reſpectu pulſuum *ſuperiorum* cùm quibus ſæpenumerò conjungitur, dùm ferè nuſquàm concomitatur ullos pulſus inferiores: illeque ſemper ab omnibus Medicis attentis cognitus fuit, qualis à Galeno diſtinctus fuerat & deſcriptus. Hic eſt pulſus, quem *undoſum* vel & *inciduum* vocavêre Medici Veteres, & qui ſequentibus characteribus ſeſe declarat.

Nempè *ſudoris* pulſus adeſſe dicitur, ſemperque ſudor exſpectandus eſt, quandò arteriæ pulſatio eſt *plena*, *admodùm mollis*, *explicata & fortis*, prætereàque his modificationibus ſimul adjungitur ſingularis hæc inæqualitas, quòd ſcilicet aliquot hinc indè pulſationes eleventur ſeu amplientur ultrà ordinarios arteriæ ictus : & quòd, dùm ita elevantur, ſucceſſivè augeſcant, uſque

ad tertiam vel quartam, quæ dilatationem mollitiemque præbeat majorem quàm præcedentes. Solano tres tantummodò pulsationes ita adauctas agnovisse se scripsit : de Bordeu duas vel tres : alter, Solanone recentior, admitit quinque. Observatio litem dirimet. Sed, ut mihi apparet, hic numerus variat.

Pulsus sudoris non solùm observatur in fine acutarum febrium, verùm etiam in fine morborum pectoris inflammatoriorum; necnon & quandoquè in ultimis febrium intermittentium paroxismis, quandò febres istæ mox mox abituræ sunt.

Si quæratur ratio cur pulsus sudoris sæpenumerò incidat cùm pulsu quolibet superiori : dùm ille cùm pulsu inferiore nequaquàm ferè concurrit? Respondemus id præsertim fieri, quia crises superiores nequaquàm conveniunt cùm crisibus inferioribus. Tendentiâ humorum centripeta crisium inferiorum, nequit concurrere cùm tendentiâ centrifugâ crisium superiorum, ut & crisium per sudores patratarum. Præthereà, cùm pulsus sudoris apprimè criticus, constanter sit *plenus*, *mollis*, *explicatus & fortis* : dùm pulsus *inferiores* nusquàm sunt adeò *molles*, nec adeò *explicati*, neque sibimetipsis adeò similes quoad pulsationum intervalla; facilè datur concipere discrepantiam, quæ sedet inter pulsum sudoris & pulsus quoslibet inferiores. Hincquè patet ratio cur pulsus sudoris non incidat cùm ullo pulsu inferiori : dùm è contrà pulsus sudoris sæpiùs cùm pulsibus superioribus concurrit, præsertimque cùm pulsu pectorali. Idcircò, ægros plerumquè sudoribus diffluentes videmus, quandò critica sputa rejiciunt : dùm contrarium observari solet respectu crisium infernarum. Exceptâ solâ evacuatione uterinâ (quæ quidem non nihil cutanea est), non memini me vidisse criticum sudorem reverà concurrentem cùm crisi alterâ ejusdem infernæ corporis partitionis.

De cætero, ex iis quæ mox dicta sunt in genere, (tùm de variâ affinitate humoris critici cùm excremento vario necnon cùm cruore variis partibus specificè destinato, tùm de humoris illius qualitate magis vel minùs irritante), hæc conclusio quoque generalis eruenda est circà quemcumque pulsum criticum. Nempè 1°. quòd difficillimum sit advertere quampiam mutationem in pulsu coctionis, etiamsi crisis immineat, ubi paucus humor criticus, isque valdè benignus expellendus est. 2°. Quòd natura quandoquè inter duas species pulsûs critici velut hæsitabunda aliquandiù maneat, mox hunc affectando pulsum, mox alterum; quandò scilicet febrilis humor jàm ferè coctus, mox illam cloacam affectat, mox alteram: eò quòd ille mox affinis sit cùm uno humore excrementitio, mox cùm altero: vel & mox cùm hâc sanguinis portione, mox cùm alterà. Adeò ut ea naturæ hæsitatio appareat, quousquè humoris affinitas, per febrem determinata, adduxerit determinatam illius unionem cùm uno singulari excremento vel cùm peculiari rivo cruoris: ideòque effecerit distinctum criticum pulsum quo designetur determinata quædam evacuatio critica, seu humoralis, seu sanguinea. 3°. Demùm ex iisdem resolvitur ratio, cur nulla quandoquè contingat perfecta crisis, etiamsi plura criseos indicia apparuerint: quoties nempè febrilis humor indocilis est sufficientem pati elaborationem, ad hoc ut huic vel illi cruoris portioni aut excremento affinis fiat, & cùm eo possit eliminari: tùm imprimis, quoties febris turbatur præposterâ medicatione. Undè intelligitur quarè quædam febres veluti æternentur, nec extinguantur nisi modo admodùm insensibili; sicut plerumquè videre est, quandò natura catharticis fatigata fuit tempore vigoris morbi. Tunc itaque æger sæpè plures successivas veluti metastases patitur: quatenùs nempè, dùm natura sese accingit ad parandam crisim quamdam, aut dùm

humor jam fortè aliquam petere incipit cloacam, mutatur ejus cloacæ sensificatio, mediante impressione purgantium medicaminum suprà viscera abdominalia. Nam viscera hæc, regimine suo generaliter patenti, valent afficere sensum & motum superioribus organis quibusvis proprium: sicut vicissim viscera inferiora affici possunt, à superioribus inopportunè lacessitis.

At regeret forsan quis, usum saltem catharticorum non esse nociturum febri deindè fortean curabili per evacuationes alvinas. Sed præterquàm non adeò frequentes sint illæ intestinales crises, respondetur quòd, quamvis talis crisis sperari posset, nihilominùs viscera abdominalia (sæpiùs irritata & emuncta per prædictas evacuationes), proprium suum *erethismum* opponerent exspectatæ crisi. Tunc enim inopportuna hæc irritatio cloacas illas stringere capax est; sicut aliundè ex illis cloacis millies emunctis, ac veluti expressis, tollitur vehiculum quoddam amicum, juvandæ coctioni quàm aptissimum; quâ ratione partes quæ sunt ad umbilicum amittunt congruam crassitudinem: quod sanè tunc malum est, ex aph. 35 sect. 2.

§. II.

Sunt-ne dies critici, & quinam secundùm Hippocratem?

Crisis apud Medicos vocatur subita mutatio morbi in melius aut in pejus, qualis febrilibus in morbis tàm sæpè observatur. Fit mutatio hæc in melius, quandò natura victrix est: ubi nimirùm absoluta est febrilis humoris coctio, illeque per aliquam corporis viventis cloacam eliminatur. In pejus verò, quoties natura suscepto huic operi impar est; ideòque vel alter morbus, vel mors subsequatur.

In primo casu, si febrilis materies copiosa non fuerit, crisis

ſalutifera affulget ſub auſpicio notabilis levamenti, ſimul & pulsûs coctionis confirmati; ſed ſi copioſa materies expellenda ſit, tunc præter ſigna prædicta, ſuboritur pulſus verè criticus, quem brevì excipit ſenſibilis quædam evacuatio abundè ſalutifera. In caſu verò mutationis morbi in pejus, quamvis ſigna quædam coctionis fortè præceſſiſſent, nedùm confirmentur, ea evaneſcunt, imò & pejoribus ſignis natales præbent; nempè pullulaſcunt ſymptomata nova, ſi morbus ſecundarius impenderit: pulſus verò evadit irritatiſſimus, formicans, ac miſerrimus, ſi adventura ſit mors. Similia in praxi quotidianâ obſervantur.

Quamvis illi eventus critici ſat ſubitò ſuperveniant, ii tamen non accidunt fulguris ad inſtar. Sed eos adventuros eſſe paulò anteà apparet mediantibus quibuſdam ſignis, quæ oriuntur prout malum ineluctabile evadit, aut illud è contrà incipit cicurari ac depelli. Hoc præſertim advertere eſt in hominibus vel acutiſſimè ægrotantibus, qui ſcilicet curantur nullo adhibito auxilio, præter temperantiam ab inſtinctu ſolo naturæ inſpiratam. Porrò, ſi natura quidpiam tale per ſe ſolam faciat, quis dicere auſus erit, non dari in morbis potentiam curatricem ſpontè operantem, quæ ſtatis quibuſdam temporibus curationem abſolvat, vel & ſecundarium accerſat morbum aut mortem ipſam, ſi morbus nequeat priori modo fugari. Quemadmodùm enim res naturales ſuum habent exordium, ita & ſuum habere finem neceſſe eſt.

Enim verò naturam ſilere in chronicis morbis nè reſolvas, ex eo quòd in iis tàm debiliter agat ut quieſcere videatur. Sed agnoſce illius duntaxat conatus plerumquè nimis imbelles tunc eſſe: indèque ſatage ſcrutari quouſquè valeat artis peritia ſupplere naturam impotentem, & communes reportare victorias. Nonnè & mutationes ſubitæ obſervantur in chronicis morbis, quæ veræ ſunt criſes, & quæ pariter accidunt quandò delecte-

rium latens mutatum tandem eſt ? ſive natura id boni præſtiterit ſola, ſive id fecerit auxilio artis. Hæ quidem mutationes non adeò apertè prævidentur ac in acutis, præſertim ex pulſu critico, (quia illæ non tantâ cùm perturbatione accidunt, ſed eæ nihilominùs innoteſcunt per ſigna ſua, quorum princeps habetur in levamine evidenti, cui ſocius adjungitur pulſus magis accedens ad ſtatum ſanitatis.

Ne tamen quis crediderit Medico ſemper otiandum eſſe atque contemplandum, in criſium exſpectatione. Ipſi quidem agendum incumbit, tùm in chronicis, tùm in acutis morbis. Quinimò in acutis præſertim agendum ſine cunctatione ſub eorum initiis, certâ cùm latitudine intellectis; quandiù nimirùm tolli poteſt materies eorum augmenti, unà cùm occaſionibus nimiæ irritationis.

Verùm enim verò ſinenda ac conſulenda natura eſt ipſique ſerviendum, ubi ſemel motus febrilis ſatis attemperatus eſt in morbis inflammatoriis; tùm ubi in iiſdem, præſertimque in aliis, evacuatum eſt id quod primis viis hæret, & cujus irritatio localis, nec non trajectio ad ſanguinem, potuiſſet præſentem ingravare morbum. Sola ſiquidem natura callet artem corrigendi & ad exitum diſponendi, id quod in decubitu quocumque ſedet, eaque ſola capax eſt funditùs emendare & purgare maſſam humorum aliquo deleterio contaminatam. Valet tantùm ars paucis uti auxiliis quæ naturæ operanti faveant, nocua nempè abigendo ſimul & adhibendo proficua: in hiſque adhibendis ſapienter ſeſe gerere debet. Medico talia facienti, nec ullo modo naturam turbanti apparebit, morbos acutos dato quodam lapſu temporis curari, diebuſque ſatis determinatis: alios citiùs, tardiùs alios.

Dies de ſorte ægrorum ità decernentes quadamtenùs fixas eſſe vix crederet quiſpiam, niſi longâ innumerorum Medicorum obſervatione id probaretur. Attamen, ſi illud naturæ phœnomenon

philoſophicè conſideratum fuerit, nihil exhibebit mirabilius, quàm id quod perhibet regularis tranſitoriarium avium reditus & abitus, tùm fixus incubationis terminus aliique eventus naturæ innumeri, quorum regularitas pendet à cauſis perindè reconditis.

Fatemur rem aliter viſam fuiſſe à pluribus Medicis. Sed quid ex hâc ſingulari opinione probatur adversùs turbam Sectatorum antiquitatis? Niſi quòd multi quidem nomine & famâ ſint Medici, re autem & opere perpauci, ſicut jam dolebat bonus Hippocrates: & quòd imaginaria medicatio in acutis valeat ordinem criſium naturalem magnoperè interturbare & occultare. Medici enim qui domeſticâ obſervatione ſuâ freti adverſantur diebus criticis, ii ſunt duntaxat qui, ſyſtemate quodam imbuti & ab aliis nihil mutuari ſeſe gloriantes, nunquàm in decurſu acutorum abſtinent à pharmacis vacuantibus, aliiſve mediis valdè moventibus pro arbitrio adhibitis: quasì liceret indeſinenter imperare Naturæ, fauſtaſque ab illâ invitâ extorquere criſes.

Si è contrà audiverimus Hippocratem, dabitur colligere motus criticos naturæ medicatricis reipsâ exiſtere, imò & ab illis ordinem affectari ſatis conſtantem, cujus ordinis accuratæ obſervationi debetur criſium doctrina, quæ nullo modo innixa eſt ſcientiæ numerorum Pythagoræorum, ut quidam cenſores paſſim reputârunt. Ea quæ leguntur in epiſtolâ Hippocratis ad Theſſalum filium ſuum, nequaquàm ſufficiunt ad hunc obſervatorem collocandum inter ignavos Sectatores Philoſophi Samii. Hæc epiſtola vario modo ſcripta & extenſa reperitur variis in editionibus; ideoquè illa dubiæ fidei meritò exiſtimanda eſt. Prætereà, quamvìs legitima foret, ea ſenſu obvio potiùs eſſet ſpectanda tanquàm brevis invitatio ad colendam criticorum dierum cognitionem & numerum; ad quam *experientiæ facultatem* acquirendam, valdè contendendum eſſe ibi præcipitur.

Videamus

Videamus ergò quinam ſint dies criſibus à naturâ conſecrati in acutis morbis, & quid præcisè cenſuerit Hippocrates de quæſtione tanti momenti. Non ibi aggredimur dirimere variorum ſcriptorum controverſias. Hanc non invidemus gloriam Viris magis eruditis. Deſideramus duntaxat exponere tyronibus res magis poſitivas, magiſque utiles.

Secundùm Hippocratem, duplex agnoſcenda eſt ſeries criticorum dierum, ſeu dierum in quibus morbi judicantur. Prima ſeries complectitur judicationes quæ contingunt diebus morborum ſeptenariis; altera, judicationes diebus paribus & imparibus accidentes. Ne credatis tamen morbum nullum terminari niſi in die critico dicto. Aliqui etiam deſinunt aliis diebus. Sed quamvìs iſti dies hoc ipſo evadant critici ſeu judicatorii, non adſcribuntur numero criticorum dierum, quia nimis raro decernunt. Ad hæc notari meretur tutiores eſſe, ut & frequentiores, terminationes diebus plerumquè criticis accidentes, quàm quæ contingunt diebus rariſſimè decernentibus. Nam, ut docetur libro de diebus decretoriis, quamvìs omnibus diebus morborum criſes quandoquè fiant, tamen non in omnibus diebus æquales numero obſervantur, neque pares fide.

Judicationes diebus ſeptenariis contingentes frequentiores ſunt aliis, & pertinent ad febres quarum exacerbationes ſingulis diebus incidunt. Judicationes verò accidentes diebus paribus & imparibus, pertinent ad morbos rariores, quorum exacerbationes contingunt diebus paribus aut imparibus. Hæ duæ judicationum ſeries omninò diſtinctæ reperiuntur in operibus Hippocratis.

Judicationes diebus ſeptenariis accidentes, ſequenti modo determinatæ habentur lib. de prænotionibus, ſect. 2. Foëſ. pag. 11, lig. 21 & ſeq. : » febrium judicationes iiſdem numerantur

» diebus, quibus & evadunt, & moriuntur homines. Nam & » mitissimæ febres, & quæ securissimis fulciuntur signis, die » *quarto* aut antè desinunt. Maximè verò malignæ, & quæ cùm » gravissimis signis fiunt, *quarto* vel priùs interficiunt. Primus » itaque earum insultus ad hunc modum desinit, secundus ad » *septimum* deducitur, tertius ad *undecimum*, quartus ad *decimum-* » *quartum*, quintus ad *decimum-septimum*, sextus ad *vigesimum*. Hi » igitur circuitus ex acutissimis morbis per quatuor factâ acces- » sione, ad vigesimum terminantur. Neque verò horum quic- » quam integris diebus exactè numerari potest, cùm neque annus » etiam, neque menses integris diebus exactè numerari soleant. » Post hæc autem, eâdem ratione juxtâ eamdem adjectionem » primus circuitus est *quatuor & triginta* dierum, secundus *qua-* » *draginta*, tertius *sexaginta*.

Prædictus criticorum dierum index apertissimè designat duplicem esse eorum seriem. Prima series complectitur criticos dies morborum *acutiorum*, qui nempè terminantur spatio trium septimanarum, imò & maturiùs. Altera comprehendit dies criticos morborum qui dicuntur *acuti ex decidentiâ*, qui prorogantur ad usque diem quadragesimum, imò & ad sexagesimum.

Ad hoc ut intelligatur computatio & adjectio dierum ad constituendas morbosas septimanas in prænotione suprà relatâ memoratas, ut & ad cognoscendos criticos earum dies : consulendus est aph. 24. sect. 2, qui sic se habet : *Quartus septenariorum index est. Octavus alterius septimanæ est principium. Undecimus etiàm spectandus dies, ipse enim secundæ septimanæ quartus est. Rursùs quoque spectandus decimus-septimus, hic enim est quartus à decimo-quarto, septimus verò ab undecimo.* In hoc equidem aphorismo reperitur duntaxat computatio trium priorum septimanarum, (quæ pertinent ad morbos *acutiores*, seu acutos per excel-

lentiam), unà cùm enumeratione omnium dierum *indicatorum*, necnon & *criticorum* his tribus ſeptimanis propriorum. Sed ex his intellectis, facilè elucefcet id quod reſpicit ſex alias ſeptimanas quæ attinent ad morbos intrà novem ſeptimanas terminandos, id eſt ad morbos qui *acuti ex decidentiâ* appellantur. Prætereaquè ex eodem aphoriſmo apparebit, quantùm ii decipiantur qui contendunt diem vigeſimum-primum ab Hippocrate deſignari tanquàm criticum & ultimum tertiæ ſeptimanæ. Equidem, dicendo quòd dies decimus-ſeptimus ſit quartus dies tertiæ morbi ſeptimanæ : nonnè dicere eſt, diem ejus ſeptimum haberi in die vigeſimo?

Non minùs decepti mihi videntur qui objiciunt aphoriſmum 36. ſect. 4 tanquàm contradictorium, eò quòd deſignet dies diverſos à prædictâ enumeratione. Nùm jure, vel injuriâ id faciant, videndum. Ideòque citabimus hunc aphoriſmum ſicut legitur in editionibus magis exactis, qualis eſt imprimìs illa quam nuperrimè curavit peritus D. Boſquillon Med. Pariſienſis. Nempè, *ſudores febricitantibus boni, qui incipiunt tertio die, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo-quarto, decimo-ſeptimo, vigeſimo-primo, vigeſimo-ſeptimo, trigeſimo-primo & trigeſimo-quarto, ii enim ſudores morbos judicant. Qui verò aliter contingunt* (1), *vel mortem, vel dolores, vel morbi longitudinem, vel recidivas ſignificant.* Porrò advertatis dies hoc in aphoriſmo deſignatos, minimè ibidem declarari criticos. Tantummodò ibi notatur ſudores diebus duntaxat deſignatis *incipientes*, bonos eſſe; id eſt, ab illis promitti criſim deindè abſolvendam. Non verò ibi ſtatuitur eos ſudores ideò bonos tunc eſſe, quia iiſdem diebus morbum terminant : ſed quia his diebus *incipiunt*. Quæro ab omnibus Medicis ut candidè dicant, nùm viderint unquàm morbum quem-

(1) Confer. aph. 37, 38, 41, 42 & 56 ſect. 4.

piam terminari per sudores, eo ipso die quo ii sudores incœperunt? Eo quidem die quo morbus tandem desinit favore sudoris critici, sudor semper erit multò copiosior; sed ille quoque sudor semper anteà incœpit paululus perspirare: die scilicet 3°. aut 5°., &c. Hoc sudoris critici genium apprimè comprobare est in inflammatoriis morbis pectoris, utpotè qui semper judicentur per sudores criticos, sputis coctis adjunctos. Consequenter, nedùm hic aphorismus absurdus sit, ut quidam exclamant, ille è contrà veracissimè indicat epocham sudorum, ex quibus liceat deindè sperare crisim quæ à febre perfectè liberet. Ea enim à febre liberatio per sudores, nequit intelligi de eo ipsomet die in quo sudores *incipiunt*, sed de diebus duntaxat criticis subsequentibus. Nec aliter interpretanda sunt ea quæ leguntur lib. prænotionum, pag. 5. Foës, lin. 16 & seq., ubi non solùm fit mentio originis bonæ sudorum, sed & designantur tùm bonæ tùm pravæ eorum qualitates, quocumque die & modo scaturierint. Notum est intereà sudores quoque pessimos ipsismet diebus criticis efflorescere, sicut fertur aph. 4 sect. 8. his verbis: *sudores diebus judicatoriis vehementes & spissi suborti, periculosi, & qui ex fronte, guttarum & scaturiginum instar, propelluntur, quique valdè frigidi sunt & copiosi. Ejusmodi namque sudores cùm vi, & summo dolore, expressioneque diuturnâ prodire necesse est.*

Si de prædictis Medici Coi sententiis aliter judicârunt quidam Censores, id processit ex eorum pravo adversandi studio in favorem cujusdam systematis; vel ex eo quòd maluerint errores Hippocrati tribuere, quàm ejus explorare accurationem. Non veremur affirmare dies criticos septenarios morborum acutiorum & frequentiorum optimè ab illo Medico fuisse distinctos, absquè ullo vestigio contradictionis ipsi adscribendæ. Videndum restat, nùm pariter stabilitæ sint crises diebus paribus & imparibus

contingentes, quæ sunt altera series crisium ab illo quoque observatarum.

Crises diebus paribus aut imparibus accidentes pertinent ad morbos acutos rariores, quorum exacerbationes contingunt diebus paribus aut imparibus. Nempè, ut inquit Hippocrates lib. I. de morb. vulg, qui diebus paribus invasiones habent, ii diebus paribus decernunt. Quorum verò accessiones imparibus diebus fiunt, ii imparibus judicantur. Talium crisium aliquot exempla prostant in historiis ægrotorum libri ejusdem & aliis; eaque faciunt quamdam veluti exceptionem in lege crisium naturali. Sic autem recensetur earum ordo in fine sectionis tertiæ libri ejusdem, pag. 40 Foës. : » Circuituum autem qui diebus pa-
» ribus judicant, primus est decretorius quartus, sextus, octavus,
» decimus-quartus, vigesimus-octavus, trigesimus, quadragesi-
» mus-octavus, sexagesimus, octogesimus & centesimus. Cir-
» cuituum verò qui diebus imparibus judicant, primus est ter-
» tius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus-septi-
» mus, primus & vigesimus, septimus & vigesimus, & trigesi-
» mus-primus. Considerandum autem est quòd si quid aliter
» extrà hos præscriptos dies, decernat, recidivas fore, perni-
» ciemque portendi. Animumquè advertere & nosse oportet,
» his in temporibus futuras judicationes ad salutem aut perni-
» ciem tendere, vel momenta in melius aut deterius facere. Præ-
» tereàque videndum est, quibusnam circuitibus febres errantes,
» quartanæ, quintanæ, septimanæ, judicationes subeant.

Verùm, ex eo quòd nihil de similibus morborum terminationibus habeatur in aphorismis, in quibus celebrantur crises septenariæ, apparet terminationes diebus paribus & imparibus accidentes non fuisse ab Hippocrate comprobatas observationibus sat numerosis. Hic equidem fecit mentionem febrium tertio

quoque die exacerbeſcentium, dùm ſcripſit aph. 43 ſect. 4; *febres quæcumque non intermittentes tertio die vehementiores redduntur, periculoſiores. Quocumque autem modo* (deindè) *intermiſerint, ſecuritatem ineſſe ſignificatur*; ſed non loquitur de terminationibus earum criticis. Ibi agit duntaxat de periculo his febribus annexo quandiù exacerbeſcunt tertio quocumque die, ut & de ſecuritate quæ accedit ubi illæ acquirunt typum febris tertianæ, ideòque fiunt intermittentes. Eæ ipſæ ſunt febres quæ ab ipſo vocatæ fuerunt *ſemi-tertianæ*, *tritheophiæ* verò ſeu *tertianariæ* à Galeno, & *hemitriteæ* apud Celſum alioſque varios ſcriptores; ſed quæ nòn ſunt ſatis frequentes ut apertiùs innotuerint terminationes earum criticæ, & ut amplior de illis doctrina tradita fuerit. Tales itaque febres nihil aliud ſunt quàm rariſſimæ illæ tertianæ degeneres quæ evaſerunt continuæ, & quæ ſolent denuò fieri tertianæ quandò miteſcunt, ſicut Medicis exercitatis notum eſt: quæ verò remanent periculoſiſſimæ, ſi hoc modo non mutentur; adeò ut illæ præ aliis lethales dicantur, lib. I. de morb. vulg., pag. 36.

Quoad febres diebus paribus exacerbeſcentes & decernendas, eæ adhuc prioribus rariores obſervantur, perfectumque de illis ſilentium ſervatur in aphoriſmis. Pro meâ ſententiâ, febres illæ reipsà ſunt quartanæ degeneres, maligniores & continuæ factæ; quales aliquandò obſervare eſt in turbâ quartanarum autumnalium mali moris, aut provectarum & neglectarum. Talis eſt etiam febris illa rarò obſervabilis quam *tetartophiam* variis epithetis inſignitam vocare placuit Sauvageſio, id eſt *quartanam continuam*. Quæ igitur in ordine febrium idem præſtat, ac præſtatur ab aliquo monſtro acephalo in ordine animantûm.

Quid verò mirum febres *hemitriteas* ſeu ſemi-tertianas judicari diebus imparibus, paribus autem *tetartophias* ſeu quartanas con-

tinuas ? Cùm febres illæ exacerbentur diebus illis, nonnè iisdem natura debet vincere aut devinci? quandòquidem iis præsertim diebus decertandum habeat, in hâc assertione nihil absurdum est. Neque etiam licet ab hinc quidpiam concludere adversùs doctrinam criticorum dierum qui observabiles sunt in acutis morbis febrilibus ordinariis. Qui ordinarii morbi febriles, cùm singulis diebus exacerbescant magis vel minùs, singulis quidem diebus aliquandò quoque judicantur, sed multò frequentiùs judicantur diebus septenariis, aliter criticis vocatis ob excellentiam, sicut experientiâ Medicorum innotuit. Ideò de diebus illis Hippocrates pluribus in locis locutus est ex professo, ob frequentiam & certitudinem observationis : nempè in prænotionibus, in lib. 1 de morb. vulg., tùm præsertìm in aphorismis suis qui ultimò conscripti fuerunt, & doctrinam generaliorem ac probatissimam profitentur.

Sed quidquid sit de meâ opinione circà terminationes febrilium morborum contingentes diebus paribus aut imparibus, saltem demonstratur ex dictis quantùm allucinentur qui aph. 61 sect. 4 legunt : *febricitanti nisi diebus imparibus dimiserit febris, reverti solet.* Quomodò Hippocrates hæc scripsisset ? Quippè qui memoraverit non solùm plurimas recidivas morborum diebus imparibus judicatorum, sed & plurimas tutissimas judicationes diebus paribus factas. Ibi ergò secundùm nuperiores aphorismorum editores legi debet : *febricitantem, nisi die critico febris dimiserit, reverti solet.* Quod idem sibi vult, ac si diceretur febrem sine crisi terminatam solere revertere ; quia cùm probaverit observatio crises adæquatas præprimìs contingere diebus illis qui critici audiunt, periculum est nè judicatio facta die altero reliquerit aliquod residuum, à quo iteratos in morbum lapsus produci nôrunt Medici, sicut notatur aph. 12 sect. 2.

Quoad criticas terminationes febrium intermittentium, quamvìs ex textu lib. 1 epid. suprà relato, indubitanter appareat Hippocratem occupatum fuisse in quærendis illis crisibus, nihilominùs certum est, quòd multùm in hâc parte non profecerit. Nàm alibi de illis nihil habet nisi aph. 59 sect. 4, ubi dicit: *tertiana exquisita septem circuitibus, ut longissimè, judicatur.* Qui & aphorismus valdè incertus habendus est ex ipso ejus auctore; quoniam coacâ 148 scripserit, tertianam exactam *quinto, aut septimo, aut summùm nono circuitu* terminari. Adde quòd prorsùs ignoretur, quid auctor intellexerit per eos febrium intermittentium circuitus.

Sed è contrà crises septenariis diebus contingentes ipsi valdè cognitas & familiares fuisse liquet ex prælibato criticorum dierum examine; eæque ipsæ magis celebratæ fuerunt à veteribus Medicis qui sanctiùs adhæserunt huic doctrinæ post Galenum. Nunc breviter exponendum quænam fuerit eorum disciplina circà dies criticos.

Juxtà priscos Medicos, dies critici *septenarii* distinguntur in duos ordines, sicut jàm suprà innuimus. Primus respicit morbos acutiores qui nempè judicantur spatio trium septimanarum. Alter pertinet ad morbos *acutos ex decidentiâ* dictos; id est ad morbos acutos qui extenduntur usque ad diem quadragesimum, quandoquè & ad sexagesimum.

In priori ordine, alii critici dies dicuntur *primarii* seu principes, alii *secundarii.* Primarii sunt septimus, decimus-quartus, & vigesimus. Secundarii, nonus, undecimus, & decimus-septimus. Quibus addi etiam possunt tertius, quartus & quintus, qui quandoquè decernunt, sed imperfectiùs; itemque sextus, qui sæpè quoque decernit, sed malè & imperfectè; tùm octavus & decimus, qui perversè etiam, sed raró judicant; at verò

duodecimus,

duodecimus, decimus-ſextus, & decimus-octavus nunquàm.

In poſteriori criticorum dierum ordine numerantur vigeſimus-ſeptimus, trigeſimus-quartus, & quadrageſimus; quos ultrà, ſolus dies ſexageſimus habetur tanquàm criticus. Adeò ut, ſicut labitur ſeptimana integra, à die vigeſimo ad vigeſimum-ſeptimum; à vigeſimo-ſeptimo ad trigeſimum-quartum; tùm à trigeſimo-quarto ad quadrageſimum: ita & tres ſeptimanæ requiruntur ad efficiendam criſim quæ non facta eſt die quadrageſimo, quia tunc debilior eſt natura.

In prædicto itaque numerabili ordine dierum criticorum attendere oportet, quòd critici dies ſecundi ordinis (ii nempè qui pertinent ad morbos acutos ex decidentiâ dictos), ſint tantummodò *ſeptenarii*, nempè vigeſimus-ſeptimus, trigeſimus-quartus, & quadrageſimus, imò & unus *terſeptenarius* duntaxat, ſcilicet ſexageſimus; dùm critici dies ordinis primi (morborum nempè acutiorum), ſunt & *ſeptenarii*, & *quartanarii* ſeu *ſemi-ſeptenarii*, ut aiunt. *Septenarii* videlicet, ſeptimus, decimus-quartus, & vigeſimus; *quartanarii* verò ſeu *ſemi-ſeptenarii*, quartus, ſeptimus, undecimus, decimus-quartus, decimus-ſeptimus, & vigeſimus; qui dies omnes eo modo recognoſcuntur in textu prænotionum ſuprà relato. Sed ad hanc computationem intelligendam, attendatur diem ultimum cujuſvis prædicti numeri *quartanarii*, primum quoque eſſe diem quartanarii numeri ſequentis: ſicut ultimus dies ſecundæ ſeptimanæ eſt quoque primus ſeptimanæ tertiæ: & ſimiliter, dies ultimus ſeptimanæ quintæ, primus eſt ſeptimanæ ſextæ. Hoc patet ex aph. 24 ſect. 2, necnon & ex prænotionum textu ſuprà relato.

Sic diſtinctis diebus criticis, Veteres Medici docebant tres duntaxat ex illis verè criticos eſſe per excellentiam, ſeu *radicales*; nempè ſeptimum, decimum-quartum, & vigeſimum: eò quòd

ii tres dies multò frequentiùs ac tutiùs morbos judicarent. Imò hanc inter illos diversitatem annotabant, quòd dies septimus frequentiâ judiciorum suorum præcelleret diei decimo-quarto, ut & vigesimo: sicut dies decimus-quartus præeminet diei vigesimo.

Reliqui omnes dies, inquiebant, magis vel minùs sunt periculosi. Horum quidem plurimi morbos aliquandò decernunt, ut suprà monitum est; sed eorum decreta longè minùs frequentia obtinentur, necnon multò minùs tuta. Quapropter, ad hoc ut sua quibusvis hisce diebus jura assignarentur, ii divisi sunt in tres classes à priscis Medicis; nempè in dies *indicatores* dictos, in *intercalares*, & in *vacuos*.

Indicatores vel & *contemplatores* dies ii vocabantur, quibus indicaretur perfectam crisim futuram esse die aliquo critico *radicali*. Proindèque eorum indicatorum numero adscribebantur, dies quartus, undecimus, & decimus-septimus; quatenùs videlicet dies quartus indicaret eventum diei septimi: undecimus, eventum decimi-quarti: decimus-septimus, vigesimi. Quinimò, sicut dies septimus habebatur tanquàm princeps criticorum, ita & dies quartus inter alios *indicatores* dicebatur præcipuus, quo nempè prænuntiaretur perfectam crisim die septimo futuram esse: secùs verò, non perfectam. *Quibus septimo die judicatur morbus, iis urina rubram die quarto nubeculam habet, aliaque pro ratione*, inquit Hippocrates, aph. 71 sect. 4, qui & coacâ 586 monuit celerem quoque judicationem indicari, si illæ subsidentiæ fuerint albæ. Præstereà dies ille quartus quandoquè etiam criticus fit, sicut declaratur in textu prænotionum suprà citato; verumtamen ille aliquandò quoque nihil indicat. Hoc ultimum fit, vel propter malignitatem morbi, vel propter præposteram ejus medicationem, tuncque mortem non raró denunciat; quandò

nimirùm illæ mutationes quas invehit, excedunt ſolitum naturæ tenorem. Quoad ſecundum *indicatorem* diem, nempè undecimum, hic minùs regularis eſt, minùſque fidus quàmdies quartus; ſed ille etiam quandòque criticus eſt: imò & frequentiùs judicat quàm quartus, ſi Galenum audiverimus. Deniquè, tertius *indicatorum* ſeu decimus-ſeptimus, merus eſt indicator eventuum diei vigeſimi. Quod ad me, non affirmaverim quidem me obſervaviſſe hæc omnia adeò regulariter fieri, ſed frequentiſſimè; ſaltemque nullam criſim bonam aut malam notaviſſe, quin ejus aliquot veluti primitias paulò anteà viderim.

Intercalares dies, aliter etiam dicti *provocatores*, ſunt tertius, quintus, nonus, decimus-tertius, & decimus-nonus. Illi dies ſunt quidam velut vicarii criticorum, ſed eorum efficacitatem nunquàm attingunt. Quinimò metuenda eſt recidiva, quandò dies illi critici evaſerunt, ſicut Hippocrates, à quinto præſertim die in plurimis ægrotantibus vidiſſe ſe narrat in epidemiis ſuis. Quoad diem nonum, quandoquè hic fauſtus eſt, quatenùs perficit criſim die ſeptimo incœptam, vel & quatenùs incipit criſim abſolvendam die decimo-quarto. Debiliſſimus verò dies decimus-tertius; imò & decimus-nonus adhuc debilior.

Vacui demùm dies, ſic appellati fuerunt quia ii plerùmquè nihil indicant, nec ſolent unquàm judicare morbos niſi ægrotantes occidendo. Tales ſunt, ſextus, octavus, decimus, duodecimus, decimus-ſextus, & decimus-octavus, qui vocati etiam fuerunt *medicinales* à pluribus Medicis. Putabant nimirùm uſurpari non licere medicamenta ulla niſi diebus vacuis, per quos credebant naturam quieſcere; imò multi, poſt Galenum, habebant diem ſextum tanquàm magis formidandum inter alios ejuſdem ſeriei: ideòque ſtatuebant nihil prorsùs hâc die agendum eſſe. Verùm ſimiles aſſertiones omninò erroneas eſſe ac ſyſte-

maticas, quis non viderit? Sed juvabit nonnulla hìc protulisse quoad fatalitatem diei sexti, sicut & de exclusivâ administratione medicaminum per alios dies *vacuos* appellatos.

Quod pertinet ad diem sextum, de quo Galenus tantâ cùm acerbitate & contumeliâ objurgavit propter frequentissima ejus infortunia, mihi videtur assignari posse naturalem hujus infortunitatis originem, absquè quòd utendum sit allegationibus adeò commentitiis, nè dixerim ridiculis. Nempè stupendam hanc diei sextæ infortunitatem non aliundè trahendam esse, quàm ex eo quòd dies sextus proximior sit diei septimo, qui omnium magis discriminosus est. Cùm enim dies septimus adducat crises infinitè numerosiores quàm ullus aliorum dierum magis criticorum: & cùm tàm sæpè vita victrix sit hoc die septimo: quid mirum, si vita non raro quoque devincatur die sexto, per quem sæpiùs pugna decretoria pugnatur? Quamobrem infelicitas diei sexti spectanda venit tanquàm aliqua veluti mensura felicitatis diei septimi: hâc tamen cùm differentiâ, quòd septimus dies frequentiùs sanet, quàm sextus occidit.

Præterea, cùm dies septimus sæpiùs decernat quàm decimus-quartus & quàm vigesimus: cùm etiàm possibilitas prima salutis vel interitûs in acutis raro videatur antè diem quartum, nisi in casibus valdè extraordinariis: exindè quoque advertitur, majus versari periculum circà diem sextum, quàm circà quoslibet dies qui labuntur à septimo ad decimum-quartum: tùm à decimo-quarto ad vigesimum. In priore siquidem septimanâ periculum versatur à quarto duntaxat morbi die ad septimum: dùm, in sequentibus quinque septimanis, illud idem periculum dividitur inter dies septem: vel & demùm inter dies viginti, quandò scilicet morbus prorogatur à die quadragesimo, ad sexagesimum.

Quod deniquè ſpectat conſilium non uſurpandi medicamenta niſi diebus *vacuis*, illud valdè erroneum eſt, ſyſtematicumque redolet abuſum doctrinæ aliundè utiliſſimæ. His quidem diebus medicamenta ſæpè adhibentur; ſed & alia aliis pariter exhiberi fas eſt, præſertim tempore *augmenti*; non quia natura tunc quieſcit ſicut Veteres opinabantur: ſed quia illis magnoperè indiget. Damnanda omninò foret exſpectatio quæ tunc arceret neceſſariam venæ ſectionem, vel vomitorium apprimè indicatum, &c.: damnandaque imprimis cunctatio hæc, quandò curatio neglecta fuiſſet ſub initiis morbi. At cavendum eſt, nè labor ille qui criſim præcedere ſolet quondàm accipiatur pro *epiphœnomenis* præſtiſſima auxilia petentibus; cùm enim, ex aph. 13 ſect. 2. *Quibus judicatio inſtat, iis nox acceſſionem præcedens, gravis*: *quæ verò ſequitur, plerumquè levior*; hinc nonnulli fortè Medici raperentur in errorem, niſi attentis daretur recognoſcere, prædictum laborem nihil eſſe niſi genuinum inſtantis criſis prodromum. Id autem præſertim judicatur, conſiderando nùm aliqua criſis paulò anteà prænuntiata fuerit, necne; ſeu ab apparente rubellâ nubeculâ in urinis die quarto, ideòque criſim ſeptimâ die futuram deſignante; ſeu mediante conſtanti *pulſu coctionis*, aliiſque ſignis pro ratione exiſtentibus.

ARTICULUS III.

Febrium genera et species.

DIXIMUS in præcedentibus articulis, quid nobis cenſendum videretur de naturâ febris, tùm de generalibus illius cauſis, ſymptomatibus & moribus. Nunc nobis ultrà progredientibus inquirenda ſunt varia febrium genera, variæque ſpecies in utroque genere obſervabiles.

Febris quoad essentiam una est. Sed quia febris mox ab exordio suo ad usquè finem perdurat absque interruptione ullâ, mox verò per vices sævit, datâ plenâ apyrexiâ inter duas accessiones: indè spontè emergit generica distinctio febrium in continuas & in intermittentes. Quæ utræque febres dicuntur *endemicæ*, si producantur à causis alicui loco constanter hærentibus: *epidemicæ* seu populares, quandò pendent ab aliquâ determinatâ constitutione multitudinis hominum alicujus ætatis aut temperiei, aut alicujus loci; quam induxit causa quædam communis, pendens ex vivendi ratione communi aut ex peculiaribus tempestatum anomaliis. *Sporadicæ* demùm seu dispersæ febres vocantur, quandò illæ aliquot hinc indè homines variæ ætatis aut temperiei aggrediuntur, propter peculiares eorumdem dispositiones accidentales ipsis proprias.

Non ampliùs immorabimur in illis febrium qualitatibus considerandis, quoniàm explicatæ fuerunt articulo secundo hujus capitis. Tantummodò agemus, distinctis paragraphis, de febribus continuis & de intermittentibus. Quia verò inter continuas aliquæ naturâ suâ variis terminantur eruptionibus, congruum est de illis particulari paragrapho dissertare.

§. I.

FEBRES CONTINUÆ.

VULGO in scholis febres quælibet continuæ dicuntur continentes, vel remittentes. Nempè *continuæ continentes*, quandò illæ motum febrilem semel excitatum perducunt ad finem uno impetu: *continuæ* verò *remittentes*, quandò impetum suum per vices remittunt ac denuò excitant, quin tamen ulla unquàm intermissio in illis adsit. Sed difficile & rarum est, ut opinor,

videri febrem continuam reipsâ continentem, nisi fortè illa sic denominetur, cujus quotidiana remissio minùs sensibilis est.

Aliæ continuarum febrium differentiæ magis reales repetendæ sunt ex earum duratione variâ, nec non & ex varietate causæ.

Ratione durationis, distinguntur 1°. febris *ephemera* seu diaria, quia viginti-quatuor horarum spatio illa absolvitur ut plurimùm & desinit absque regressu; quæ si paulò ultrà diem duraverit, ephemera extensa appellatur. 2°. Continua acuta per excellentiam, si extendatur ad dies septem, quatuordecim, aut viginti. 3°. Continua acuta per decidentiam, si ea superato die vigesimo prorogetur ad diem quadragesimum vel & ad sexagesimum. 4°. Febris longa, si ad dies centum perstiterit, qualis frequenter accidit in tempestatibus pluviosis, ex aph. 16 sect. 3. 5°. Febris chronica seu habitualis, quandò scilicet plures per menses durat, imò & per annum. 6°. Demùm febris lenta seu tabida, quandò marasmum invehit & crescit eundo, quousquè produxerit consumptionem perfectam, inevitabili morte terminandam.

Ratione diversitatis causarum, febris alia est inflammatoria, alia catharralis, humoralis alia, alia demùm eruptiva.

Febris inflammatoria ea est quæ accidit homini plethorico, dùm popularis constitutio inflammatoria viget, vel dùm ille hoc modo constitutus est ob causas ipsi proprias; quo in duplici casu febris hæc inflammatoria essentialis est. Sed si febris comitetur quamdam inflammationem formatam, qualis est pleuritis aut peripneumonia (prædictis in circumstantiis haud infrequens), tunc febris inflammatoria symptomatica dicenda est.

Febris catharralis vocatur febris acuta continua nonnihil inflammatoria sed mitior, qualis præsertim occurrit à fine

autumni ad usquè veris finem, tùm alio tempore anni, propter maximas & crebras cœli mutationes. Quæ ideò febris præcipuè aggreditur homines aliquatenùs plethoricos sed delicatiores, & simul donatos constitutione debiliori, quàm ut eorum sanguis maximè dives sit, maximèque pronus ad contrahendam veram inflammationem: undè febris hæc variis in hominum ætatibus reperit victimas, & aliquandò ferè indiscriminatim popularis evadit. Prætereà eadem febris aliquotiès nonnihil biliosi & putridi adjunctum habet, præsertim quandò frigoris anomaliæ certant cùm ventis australibus. Febris catharralis sæpissimè essentialis est, sed sæpiùs symptomatica, in quantùm nempè accidit cùm gravibus omnibus catharris tussiculosis, sicut & cùm levibus peripneumoniis ac pleuritidibus spuriis, quæ & quandoquè aliquem putriditatis characterem habent.

Humoralis dicenda est ea febris continua quæ producitur ab humoribus degeneribus. Quandò hæc degeneratio levis datur, adest febris illa quæ apud veteres audit *typhus* vel *synochus* simplex. Si verò humorum degeneratio major adsit, tunc datur febris putrida, seu *causus* aut febris ardens veterum, quæ quandoquè contagiosa est, imò & aliquandò evadit pestilens, quantùm saltem pestilentia competit temperatis nostris regionibus.

Deniquè febris eruptiva appellatur ea febris continua quæ fit ab aliquo peculiari seminio, cujus mos est producere eruptionem quamdam criticam sui generis, qualis est variola & rubeola, aliæque rariores febres eruptivæ, de quibus distincto paragrapho sumus acturi. Nunc indicare incumbit præcedentium continuarum febrium causas & symptomata, tùm diagnosim & prognosim.

CAUSÆ.

C A U S Æ.

PRODUCITUR febris ephemera à ſtatu plethorico, abſquè quòd præludium ullum morboſum obſervetur. Ea plerumquè adoritur antè diluculum, eaque ſtatim viget cùm dolore capitis, pulſu pleno, libero & expedito, reſpiratione frequenti, ſudore halituoſo, urinâ vix mutatâ: & deſinit cùm pulſu ut plurimùm undoſo. Addamus febrem ephemeram non eſſe periculoſam, & ſufficiens ejuſdem habebitur tabella; nam in dictis patet ejuſdem aitiologia & ſymptomatologia, tùm diagnoſis.

Cauſa inflammatoriæ febris eſſentialis reperitur in ſanguine copioſiori & denſo, qualis exiſtit in conſtitutione inflammatoriâ, ſub finem regularis hyemis & veris, apud homines ætatis juvenilis & mediæ: qualis etiam paſſim habetur in aliquibus individuis, propter cauſas ipſis proprias. Quæ ſanguinis conſtitutio ſic irritare valet ſenſibilitatem ut indè febris exoriatur, cùm metu decubitûs cujuſdam inflammatorii in parte magis pronâ ad ſuſcipiendam inflammationem, ſeu per ſe hoc modo diſpoſita ſit, ſeu per ſympathicam ſenſificationem; undè fit ut in hâc febre pars aliqua corporis ſemper doleat magis vel minùs, & ut inibì ſemper oriatur aliquis infarctus inflammatorius, niſi ſubitò tollatur ejus febris ſtimulus; qui infarctus ſeu decubitus inflammatorius diverſa ſymptomata creat pro diverſitate partis affectæ, deindèque capax fit terminationum inflammationi propriarum.

Si verò in ſimili conſtitutione inflammatoriâ ſtatim creetur localis aliqua inflammatio, cui febris accedat (ut naturale eſt): hoc in caſu febris dicenda eſt inflammatoria ſymptomatica, ejuſque cauſa habetur in ipsâmet materiâ prædictum decubitum inflammatorium conſtituenti, quæ ſimiliter ſubigi ac elaborari

exigit, ſimiliumque eventuum capax eſt ac inflammatio externa.

Cauſa febris catharralis conſiſtit in ſanguine quidem ſatis plerumquè copioſo, ſed paulò nimis ſeroſo ac pituitoſo, tùm peculiariter alterato occaſione ſubitanei frigoris. Qui ſanguis, ob mutationem in ſolidis inductam à frigore, valet pariter excitare febrem, cùm metu decubitûs in iis præſertim partibus quæ frigoris actioni magis exponuntur, tùm aliis in partibus quæ cùm prioribus conſentiunt, ratione mutui regiminis. Sæpè etiam huic humori catharrali adjungitur non nihil bilioſi, eoque in caſu datur materies veluti eryſipelatoſo-œdematoſa ſimul & putridula; ſicut in caſu merè catharrali, ſeu nequaquàm bilioſo, habetur imago quædam materiei phlegmonodeo-œdematoſæ. Aſt ubi alterutra materies excitavit febrem, opus eſt ut emendetur mediante elaboratione febrili, & ut reſolvantur decubitus ſi quidam adfuerint, perindè ac elaborari & reſolvi debet quæcumque inflammatio.

Humoralis febris cauſa conſiſtit in pravâ aliquâ ſanguinis qualitate, ſæpiùſque biliosâ, quam invexit æſtiva conſtitutio aut quoddam accidentale contagium vel & retentio alicujus excrementi, tùm ſæpiſſimè prava primarum viarum ſaburra variis de cauſis inducta. Quibus in circumſtantiis naſcuntur variæ variorum humorum peculiarium alterationes, proindèque diverſæ diverſorum viſcerum ſenſificationes atque irritationes, à quibus impendent multifarii infarctus febriles, ſecundùm varietatem partis ab aliquâ ſpecificâ humorum maculâ irritatæ & oppugnatæ. Quæ ſanguinis & humorum alteratio, ſi fuerit mitior, *typhum* duntaxat aut *ſynochum* adducit, ut jàm innuimus; quæ verò ſi magis degener & alterata fuerit, creat ipſam febrem putridam & ardentem (*cauſum* ſcilicet), ex quâ impendent ſymptomata magis vel minùs numeroſa & maligna, pro numero & nobi-

litate viſcerum infarctu febrili tentatorum, ſimul & pro variâ ejuſdem infarctûs tendentiâ ad gangrænam, aut ad benignam reſolutionem criticam aliaſque decubituum calidorum terminationes.

Quod ſpectat febres longas, chronicas, ut & lentas ſeu tabidas, earum cauſæ ſic concipiendæ ſunt. Longa febris pendet ab humore difficilioris elaborationis, aut cujus emendationem naturalem impedivit prava ratio victûs aut medelæ, nedùm ipſi opitulata fuerit. Febris chronica agnoſcit varias variorum viſcerum affectiones ab aliis morbis fortè reſiduas, aut pedetentim creatas vitio nutritionis vel excretionum habitualium; quæ affectiones magis vel minùs graves ſunt, ſed quibus adhuc cùm fructu mederi licet. Lenta demùm ſeu tabida febris producitur 1°. à quocumque gravi & conſtanti impedimento nutritionis, quod in certo gradu tandem perſanari nequit; 2°. ab interiori quâlibet ulceratione, cujus deterſio & curatio impoſſibilis eſt. Sed de his ſingulis febribus ſæpènumerò agendum erit, ubi de variis variorum morborum pravis terminationibus & earum ſequelis.

SYMPTOMATA.

NON putamus quidpiam eſſe addendum iis quæ articulo primo & ſecundo hujus capitis ſuperiùs dicta fuerunt de generalibus febris ſymptomatibus. Sed ex theoreticis principiis ibi propoſitis facile reſolvere eſt, diverſa febrium continuarum ſymptomata diſtinguenda occurrere, ſecundùm diverſa tempora & epochas in earum decurſu obſervabilia, quæ nimirùm contingunt ratione mutationum vi febris inductarum.

Hæc tempora febrium continuarum numero quinque, imò & ſex abſolutè poſſent admitti; quibus ſingulis ſua diverſitas competeret; nempè præludium, initium, augmentum, ſtatus, terminatio, & tandem ſequelæ. Sed medicè loquendo, juxtà

regulas clinicæ praxeos, utilius mihi videtur tria duntaxat tempora seu stadia agnoscere in febribus continuis quibuslibet: cruditatem scilicet, coctionem, & crisim seu terminationem, sicut loco citato jam indicatum est. In hâc enim temporum consideratione comprehenduntur, aut saltèm prælibantur, quæcumque pertinent ad sex epochas mox designatas; videturque exindè obtineri lucidiorem febris conspectum, tùm curativum ergà ægrotantes, tùm præservativum ergà eos qui adhuc benè valent. Quæ cognitio breviori indice contenta, tyrones magìs refert & recreat (si nimium sit dixisse eos magis doceri), quàm longissima de phœnomenis febrilibus philosophemata, vel & numerosissima varietatum nomenclatura, scholasticusque luxus. Jam ergò properemus ad continuarum febrium diagnosim.

Diagnosis.

Continuarum febrium diagnosis ibi quoque, quantùm potuero, præcisa erit. Periculosius enim est nè, minutissimas distinctiones consectando, tot credantur agnoscendas esse individuas febrium species in uno genere, quot leves observari queunt discrepantiæ variis in febricitantibus, exemplo Botanistarum vegetantia in classes distribuentium. Ex his subtilicribus distinctionibus quoad nomina (vel ipso sono suo ingrata), nascitur idearum confusio, potiùs capax memoriam gravare, quàm cognitionibus medico-practicis tuta & firma construere fundamenta.

Propterea generales duntaxat diagnoses ibi determinabimus respectu essentialium febris continuæ specierum, quarum aliæ varietates sat superque intelligi queunt, considerando quòd illæ tantummodò consistant in majore vel minori numero aut gravitate accidentalium symptomatum, ab eodem fonte oriundorum.

Nonnè iis in mente subactis quoad varias febrium species, Medicus spontè ducitur ad cognitionem congruentiorum auxiliorum, absquè quòd indigeat scivisse quodnam imponendum sit nomen curandæ febri, secundùm nomenclaturam hujus vel alterius Scriptoris? His de rationibus nobis placuit redigere specialem febrium continuarum diagnosim, ad distinguendas acutas febres inflammatorias, catharrales & humorales, abstractione factâ ab eruptivis quæ non sunt hujus loci.

Dicimus ergò diagnosim febris inflammatoriæ essentialis obtineri, si sequentia considerentur: 1°. constitutio popularis inflammatoria; 2°. ætas, ratio vivendi & constitutio ægrotantis; 3°. symptomata huic febri propria, quæ sunt calor intensus, sitis, tussis sæpè magna, pulsus durus & fortis, cutis ut plurimùm humida, somnus laboriosus, dolor gravativus artuum quo tandem aliqua pars præprimìs occupari videtur, mox nempè caput, mox pectus, &c. Quæ omnia fiunt absquè magnâ prostratione virium, absquè nauseis, imò absquè inappetentiâ, saltem sub initiis; quibus signis adde, quòd perfecta plerumquè sanitas solum sit hujus febris præludium, & quòd illa ab horrore sensibili incipiat. Undè patet quantùm symptomata diagnostica inflammatoriæ febris conveniant cùm diagnosi inflammationum legitimarum.

Si verò febris inflammatoria symptomatica fuerit, id est si ea sit effectus cujusdam inflammationis essentialis, sedentis in aliquo viscere, aut in parte quâdam externâ: tunc dignoscenda sunt signa pathognomonica affectionis inflammatoriæ præsentis, v. g. pleuritidis, peripneumoniæ, hepatitidis &c: vel & phlegmonis externæ aut erysipelatis, de quibus alibi dictum est.

Consequenter in febre inflammatoriâ, tàm essentiali quàm symptomaticâ, oportet attendere ad multitudinem & gravitatem

ſymptomatum inflammationi propriorum, ſimul & ad illa quæ inflammato organo propria ſunt, in hiſque diagnoſis quæſita obtinebitur.

Catharralis febris dignoſcitur 1°. ex conſtitutione humidâ & boreali tempeſtatis, aut dierum eodem modo ſæpiùs conſtitutorum; 2°. ex conſtitutione laxâ & plethoricâ ægrotantis; 3°. ex ſymptomatibus quæ ſolent comitari hanc febrem, qualia ſunt coryza, dolor in dorſo, tuſſis, raucedo, difficultas reſpirandi; quæ omnia incipiunt à refrigeratione, horroribuſque longis & vagis, quæ veſpertinis horis graviora ſunt.

Si verò conſtitutio tempeſtatis humida ſit frigida & auſtralis, ſimùlque ægrotans plethoricus inclinet versùs conſtitutionem bilioſam, tunc cavendum à febre catharrali putridâ, cujus initium & ſymptomata ſatis quidem ſimilia ſunt ſymptomatibus catharralis febris ſimplicis; ſed in cujus progreſſione præthereà concurrunt nauſeæ, inappetentia, linguæ ſordities, magna proſtratio virium, magnaque debilitas & irritatio pulsûs; aliis demùm ſignis ſenſim prodeuntibus, prout aliqua pars decubitu quodam catharrali bilioſo & putrido correpta laborat, velut contingit in febre putridâ, cujus diagnoſim mox ſumus expoſituri.

Febris humoralis dicta, qualis nullo non tempore accidit apud intemperantes, tùm imprimìs inter calores æſtivos, quo tempore bilioſam ut plurimùm naturam habet, ſic dignoſcitur. Præter ſigna communia quæ obſervantur in pulſu dùm febris formata eſt, attendatur 1°. ad conſtitutionem tempeſtatis; 2°. ad conſtitutionem ægrotantis, tùm ad ejus ætatem & rationem vivendi; 3°. ad contagionem, ſi quædam adſit, ſed quod rarum eſt; 4°. denique attendere oportet ad præludium morbi quod plerumquè inſignitur aliquâ debilitate & laſſitudine, ut monitum eſt aph. 5 ſect. 2, & quod præci-

puè ſtipatur inappetentiâ, nauſeâ, ſæpèque vomitu, tùm linguâ ſordidâ & ore amaro. Quinimò dignoſcitur hanc febrem eſſe magis vel minùs putridam, ſi relatis ſignis acceſſerint ſequentia ſymptomata magis vel minùs gravia. 1°. Scilicet dolor inquietus aut gravitas capitis; 2°. ſumma pulsûs irritatio, notabiliſque aliquandò debilitas & tarditas ejuſdem; 3°. varii locales dolores, velut pleuritici aut alium morbum mentientes, ſed ſæpiùs afficientes caput aut pectus: qui dolores exiſtunt cùm ſignis inflammationis ſpuriæ, ſecundùm diverſitatem partis in quâ datur febrilis quædam ſtaſis. Nempè ſi caput afficiatur, adſunt 1°. dolores capitis lacerantes, præprimis ſedentes ſuprà frontem & ſupercilia; 2°. delirationes leves, magnique ſubſultus in linguâ & manibus obſervabiles; 3°. ſumma virium voluntariarum proſtratio; 4°. pervigilium, tandemque coma aut delirium apertum & continuum, nec non aliquandò convulſiones. Si verò pectus occupetur, accidunt 1°. dolores lateris cùm ſputationibus cruentatis & coloris bilioſi; 2°. reſpiratio denſa, anheloſa & cita; 3°. ſæpè tuſſicula ſicca, cùm clangosâ voce. At prætereà, in quocumque caſu febris putridæ majorem ad gradum evectæ, ſolent generaliter adjungi 1°. calor ad tactum fermè deurens, inæqualis diverſis in partibus, ſæpèque ardentiſſimus circà vitalia organa; 2°. ſiccitas in naribus, in ore, & in linguâ quæ prætereà quandoquè nigra eſt, quaſi exuſta, valdèque aſpera; 3°. urinæ ſæpè ſanorum urinis ſimiles; 4°. diarrhææ fetidiſſimæ, quæ & aliquandò verminoſæ ſunt, præſertim autumno & initio hyemis, quibus ſæpè ſuperaccidunt tubercula ad aures; 5°. maxima ſiccitas cutis, quæ & aliquandò maculis petechialibus inficitur; 6°. deniquè peſſimus meteoriſmus.

Talis eſt natura ſymptomatum in febribus putridis accidentium; quorum numerus, gravitas & varia combinatio conſtituunt febres

malignas aut benignas appellatas, tùm singulares earum febrium varietates accidentales variis nominibus passim designatas, à quibus tyrones tantoperè occupantur; quasi indè varias febres cognoscendas haberent, easque arte omninò diversâ curandas. Si iverimus in sententiam veterum, ibi apparebit eos noluisse designare febres naturâ diversas, sed aliquo duntaxat accidente insignes, febrem vocando *epialam*, quandò sub eâ calor & horror eodem ferè instanti absquè violentiâ sibi mutuò succedunt: aut *lypiriam*, quandò per eam algent extrema, dùm viscera ardent: aut *assodem*, quandò æger tantâ anxietate ac implaciditate stipatur ut nullum situm servare possit: aut *syncopalem*, quandò febricitans syncope afficitur ubi primùm movetur, sive potando, sive mutando situm: aut *helodem*, quandò à primâ statim die ægrotàntes sudant; &c. Alioquì tot diversa hominum genera admittenda forent, quot dantur diversi colores in uveâ oculorum, aut in capillis. Sed hæc satìs dè diagnosi generali febrium continuarum, jam veniamus ad earumdem prognosim.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS febris in genere non solùm respicit proprias ejus terminationes felices aut infelices, sed & ejusdem utilitatem adversùs graviora plurima mala quorum naturalis est aliqua antidotus; & ut à jucundiori parte exordiamur, præter casus metastaticos benè plures in quibus febris præsentissimam præbet Medicinam (& præter plurimas affectiones habituales quæ per quamdam febrem formatam tolluntur), *convulsione aut distensione nervorum detento, febris si succedat, morbum solvit*, ut notatur aph. 57 sect. 4, quià scilicet febris est vitæ conamen capax discutere ac expellere materiem convellendis nervis idoneam, aliisque partibus infensam. Quapropter, ex aph. 26 sect. 2, *convulsioni febrem supervenire melius est, quàm convulsionem febri;* nam

nam in caſu convulſionis febri accedentis, evidens eſt cauſam mali ſuperiorem eſſe viribus antidoti, dùm in caſu contrario, antidotus ſeſe ſuperiorem demonſtrat. Pariter nota eſt efficacia febris adversùs convulſiones ebrietati graviori accidentes, ex aph. 5 ſect. 5; nec ignoratur ipſius quartanæ virtus ad fugandam epilepſiam, ex aph. 70 ſect. ejuſdem.

Quoad propriam febris terminationem, ea videtur maximam habere analogiam cùm variis inflammationis terminationibus, non ſolùm ergà modum abeundi, ſed & ergà varias ejus ſequelas. In omni itaque febre acutâ datur deleteria materies quæ tùm in ſanguine quem alterat, tùm variis in locis ubi decubuit, mutari atque emendari debet, deindèque criticâ evacuatione eliminari, perindè ac materies inflammationis. Quinimò prædicta materiei febrilis coctio, ſimul & critica eliminatio, perficitur ope eorumdem naturæ inſtrumentorum, cùm ſpe & periculo eorumdem eventuum & fortunarum. Nonnè enim in febribus acutis accidit reſolutio, ſuppuratio, gangræna, metaſtaſis, imò & quandoquè induratio?

Dùm ita coquitur febrilis materies, ſicut dùm jam cocta eſt, & dùm ea inſuper jam eliminari incipit, variæ excitantur perturbationes pro vario gradu & pro ſpecie irritationis, quæ totidem ſigna ſunt diverſo febris tempore diverſa, quibus res præſentes & futuræ indicantur, & quibus proindè ſignis Medicus uti debet ad inſtituendas febrium prognoſes. Conſequenter, ad hoc ut Medicus ſibimet ipſi conſequens ſit, ut & Naturæ, atque ideò cùm aliquâ certitudine ac fructu operetur, ipſi prognoſticandum incumbit ſecundùm phœnomena contingentia tempore cruditatis, coctionis & criſeos febris; adeòque licet generaliter dicere quòd febris eò pejor ſit, quò ſævior eſt & longior cruditas ejus, quò tardior eſt & inconſtantioribus ſignis notata

ejus coctio, quò imperfectior ejusdem evacuatio critica : & vicissim. Undè iterùm intelligitur quid sit reipsà censendum de febris malignitate aut benignitate.

Verùm enim verò quoad eventus faustos vel infaustos præcisè designandos, illud altâ mente reponi debet; nempè quòd *acutorum morborum non omninò tutæ sint prædictiones, neque salutis, neque mortis*, sicut peritissimus omnium Medicorum modestè fatetur, aph. 19 sect. 2; quòd proindè febrium acutarum paulò sæviorum prognoses cautè admodùm pronunciari debeant. Cavendum tamen nè prognosibus continuò desperantibus deterreantur unà cùm ægrotante adstantes. Hæc consuetudo (prorsùs indigna viri Philosophi) nunquàm arridebit homini cordato, qui vocali suâ sensibilitate atque honestate noverit, quàm acerbum & injucundum sit terrorem incutere, vel inimicis, eventusque funestos perpetuò vaticinari timentibus. Humanitas saltem requirit ut humaniter foveatur adstantium spes simul & ægrotantium. Sed ad hanc experientiæ prognosium facultatem acquirendam, non parùm valent prognosticæ sententiæ quas longissimo usu probatas reliquit Princeps Medicorum, præsertìmque suis in aphorismis. Quapropter utilissimum futurum esse ergà tyrones putavimus, si præcipuas earum hìc retulerimus, juxtà memorabiliores febrium epochas, cruditatem nempè, coctionem & crisim earum.

PROGNOSTICA *Hippocratis ergà epocham cruditatis febrilis.*

PER *siccitates febres acutæ fiunt; & siquidem annus magnâ ex parte talis extiterit, qualem constitutionem effecerit, tales ut plurimùm quoque morbos exspectare oportet*, inquit Hippocrates, aph. 7 sect. 3, qui & statuit lib. de humoribus, pag. 18. Foës., siccitates & austrinas esse & aquilonares, cæteraque alia ad hunc

modum differre, ibi addendo : *Nam & hoc magnum est.* Maximam itaque considerationem merentur duæ illæ oppositæ constitutiones respectu naturæ morborum ab illis oriundorum, proindèque respectu eorumdem eventûs. Nam cùm siccitates austrinæ (naturâ suâ minùs electricæ) relaxent solida & dissipationi subtiliorum excrementorum obstent, dùm contraria producuntur ab aquilonaribus, sequentes effectus licet exspectare in utrâque hypothesi. Nempè si utrique assignatæ siccitati adjungatur frigus dominationem tenens, gignitur constitutio inflammatoria apud homines mediæ ætatis : pituitosa verò apud senes, quorum insensibiles excretiones tunc penè annihilantur. Si è contrà siccitati accesserit dominatrix caliditas, ideò creatur bilis magis vel minùs copiosa & acer. Consequenter, si annus pro maximâ suî parte foret siccus & aquilonaris, constitutio hæc annua produceret permultos inflammatorios morbos, qui materiem citiùs coquendam perhiberent; sicut in constitutione annuâ siccâ & australi orirentur frequentes morbi biliosi febriles & acuti, quorum terminatio nec æquè cita nec æquè tuta est ac terminatio præcedentium morborum, sed qui sunt semper minùs longi, minùs exitiales, quàm morbi qui per imbres fiunt. Confer aph. 15 & 16 sect. 3. At verò in constitutione siccâ & australi quandoquè nascuntur febres intermittentes malignæ, quales hâc in Provinciâ grassatæ præsertim fuerunt, anno 1783, ab ipso vere usque ad hibernale solsticium. Quibus citati anni febribus intendendis non parùm forsan conduxerant vapores illi terreo-electrici, seu quasì volcanici, quibus atmosphera constanter obnubilata fuit à medio circiter mense junio, usque ad extremum mensem julium. Qui vapores sicci & velut fumosi (solem totâ die obscurantes, lunam totâ nocte) comitem habuerunt calorem plerumquè austrinum maximum, interimque fulgura plurima.

Ex bubonibus febres omnes malæ, præter diarias, aph. 55 sect. 4. Hoc equidem est genium febris ephemeræ ut comites habeat bubones inguinales vel & auriculares facillimè solvendos, præsertim apud adolescentes ac juvenes. Sed quandò bubones erumpunt aliis in febribus, vel ii sunt symptomatici, (tuncquè indicant materiem tenacem lymphæ admistam, cujus elaboratio indiget majori febre, quæ ideò periculosa est); vel & ii sunt critici, quo in casu periculum est nè corripiantur pravâ suppuratione aut gangrænâ, aut funestissimâ metastasi.

Ad hæc, si fortè glandibus anteà scirrhosis accidat febris, metus est nè evadant carcinomatosæ; quod ita fieri non valeret occasione febris ephemeræ.

Quibus, per febres, ad dentes viscosa circumnascuntur, iis vehementiores fiunt febres, aph. 53 sect. 4. Squalor ille dentium plerumquè niger, vehementiores quidem febres comitari solet. Sed mihi visum est eas utplurimùm terminari solutione citâ & salutari.

Sudor copiosus, modò calidus, modò frigidus, assiduè fluens, frigidus majorem, calidus minorem morbum significat, aph. 42 sect. 4. Sanè quidem multus sudor significat humiditatem multam multumque febrilem laborem. Sed si dominetur frigidus sudor, indè habetur signum maximæ irritationis, tùm alicujus statûs spasmodici ab illâ irritatione oriundi, quæ omnia indicant morbum majorem. E contrà, dominante sudore calido indicatur genium morbi magis ordinarium, ideòque morbus minùs gravis. Quodcumque symptoma extraordinarium, semper magis formidabile est quàm ordinarium.

Sudores frigidi cùm febre quidem acutâ oborti, mortem: cùm mitiori autem, morbi longitudinem significant, aph. 37 sect. 4. Nam quandò calor abest à febre acutâ, id fit quia vitæ vires jam fa-

tiſcunt ob inſignem humorum degenerationem, tùm propter ſtaſes gangrænoſas & ſpirituum defectum. In mitiori verò febre, hæc ſudoris frigiditas minorem tantummodò naturæ niſum indicat quia minor fit ejus irritatio, quam minor proindè reactio ſequitur : undè laboris longitudo.

Cùm æſtas veri ſimilis fuerit, in febribus copioſos ſudores exſpecta, aph. 6 ſect. 3. Equidem ſicut conſtitutio humida propria eſt veri, ita & ſicca æſtati. Propterea ubi æſtas veri ſimilis eſt, corpora humidiora manent, nedùm ſiccitatem æſtivam contrahant : imò ea humiditas corporum major adhuc aderit, ſi æſtas fuerit quoque veri ſimilis quoad gradum caloris. Hinc ideò habetur materies multorum ſudorum qui in febribus hujuſce conſtitutionis plerumquè contingunt.

Quâ parte corporis ſudor ineſt, ibi morbum eſſe ſignificatur, aph. 38 ſect. 4. Sanè quidem locale malum quodlibet magis commovet partes proximas quàm remotas. Ideòque non mirum ſi ſudor erumpat ex vicinitate partis laborantis, ſicut ſuprà pectus tàm ſæpè obſervatur in febricitantibus quorum reſpiratio valdè laborioſa eſt. Pariter, *& quâ corporis parte calor ineſt aut frigus, ibi morbus eſt*, ſicut legitur aph. 39 ſect. ejuſdem, qui videtur eſſe continuatio præcedentis. Deſumptâ ſcilicet frigoris ſignificatione ex ſtatu ſpaſmodico partis laborantis, ſicut ſignificatio caloris deducitur ex fortioribus oſcillationibus vaſorum ſtaſes febriles patientium.

Quin etiam, *ſi pars quæpiam antè morbum laboraverit, in eam ſe morbus obſirmat*, ſicut obſervatur aph. 33 ſect. 4. Quod ita fit, tùm propter laborantis partis debilitatem, quâ humores hùc derivantur ; tùm propter ejuſdem partis irritationes, quibus mediantibus attrahuntur humores ad eam, in quâ ideò ſtaſis quædam febrilis generatur.

In febribus acutis circà ventriculum æstus vehemens, & oris ventriculi morsus, malum, aph. 65 sect. 4, his siquidem signis indicatur saburra acerrima difficillimè corrigenda; prætereàque imminent febriles stases his in organis, funestam necrosim facillimè admittentes; adde quòd non solùm ventriculo malum illud tunc impendat, sed & ipsimet diaphragmati. *Febris ardens ex laborioso ventris dolore, perniciem minatur*, ex coacâ 130.

In febribus acutis convulsiones & circà viscera dolores vehementes malum, aph. 66 sect. 4; hìc, ut opinor, intelligendi sunt illi motus spasmodici partium musculosarum, gallicè dicti *soubresauts*, qui observantur magnis in febribus & indicant nervos atque cerebrum ipsum nonnihil tentari. Qui sanè motus malum omen portendunt, sicut & portenditur à vehementibus circà viscera laboribus; proindèque designant statum magis complicatum & graviorem, quàm ille de quo aph. 65.

Pari de causâ, *febribus à somno pavores, aut convulsiones, malo sunt*, ex aph. 67 sect. ejusdem; tunc enim, nedùm corrigatur febrilis materies, ea è contrario capax fit cerebrum petere & ideò creare convulsiones aut pavores, etiam per somnos, qui destinati sunt ad inducendam tranquillitatem. Proindè ex his habetur signum febrilem materiem pejorem evadere, nedùm meliorem. Attamen in infantibus ac pueris (quibus præsertìm familiare est symptoma illud dùm febricitant), id non ita periculosum est. Ii enim levissimâ de causâ convelluntur in casu dentitionis, tùm etiam propter saburram acidam aut verminosam, quæ facilè ut plurimùm emendatur. In hoc ergò aphorismo, sicut & in præcedenti, minimè sermo fit de veris convulsionibus adnascentibus febri, de quibus mentio habetur, aph. 26 sect. 2, suprà memorato.

In febribus spiratio offensans malo est, convulsionem enim signi-

ficat, aph. 68 sect. 4, fit respiratio offensans, id est cùm concussione, quandò in mediâ inspiratione aut exspiratione contingit altera parva inspiratio aut exspiratio : tùm etiam quandò fit alterutrius actionis aliqua interruptio. Porrò id fieri nequit, quin potentiæ respirantes irritentur & inordinatè agant, quin proindè spasmo aliquo laborent, atque adeò vita afficiatur in proprio sanctuario. Eâdem ratione, *in morbis acutis qui cùm febre sunt, gemebundæ spirationes malæ*, ex aph. 56 sect. 6, quatenùs eæ magnum pulmonis infarctum denotant, simul indicando aliquam subesse diaphragmatis convulsionem.

Quibus tusses siccæ, plurimæ & modicæ, irritantur, in febribus ardentibus, ii non multùm siti vexantur, aph. 54 sect. 4. Quia scilicet succussio faucium per tussim inducta, allicit earum partium humiditatem; sitis enim ab earum siccitate præsertim intenditur.

PROGNOSTICA Hippocratis ergà coctionis epocham.

QUIBUS septimo die judicatur morbus, iis urina rubram die quarto nubeculam habet, aliaque signa pro ratione, aph. 71 sect. 4. Jam trita est hujus observationis explicatio. Si pepasmus incœptus jam sit quartâ die, docuit observatio coctionem absolutum iri die septimâ, & crisim tunc faustam adventuram esse. Videantur quæ dicta sunt, pag. 169.

Ubi toto corpore mutationes contingunt, & corpus frigescit, rursùmque calefit, vel colorem alium ab alio recipit, morbi longitudo significatur, aph. 40 sect. 4. Nam quandò non fit constans irritatio naturæ, simulque inconstans est ejus reactio, id indicat humorem subigendum quasi per partes objici potentiis coquentibus, vel & affectionem quamdam nerveam regnare quæ identidem excitatur ab eodem humore.

Febres quæcumque non intermittentes (quæ) *tertio die vehementiores redduntur, periculosiores. Quocumque autem modo* (deindè) *intermiserint, securitatem inesse significatur*, aph. 43 sect. 4, qui errore librariorum legitur adhuc n°. 64, in septimâ aphorismorum sectione. Evidenter agitur in hoc aphorismo de febribus tertianis continuas mentientibus, quæ apud Hippocratem vocantur semitertianæ, tritheophiæ aut tertianariæ apud Galenum, apud Celsum hemitriteæ. Videantur quæ dicta sunt, pag. 262.

In febribus non intermittentibus exscreationes lividæ, aut cruentæ, aut graveolentes, aut biliosæ, omnes malæ; benè autem si prodeant, bonæ; eâdem etiam ratione dejectiones & urinæ juvant. At si nihil eorum quæ juvant per hæc loca excernatur, malum, aph. 47 sect. 4: tales namque exscreationes in gene recedunt à statu sano & indicant pectus infarctum esse; sed quandò illæ accidunt cùm aliquà facilitate & cùm levamine, tunc bonæ sunt, quia incipit concoqui materies infarctûs, ideòque sensim liberatur organum infarctum. Quod pariter censendum de aliis quibuslibet evacuationibus, sicut generali dogmate præceptum est, aph. 2 sect. 1.

Quibus biliosæ sunt dejectiones, hæ obortâ surditate cessant; & quibus præcesserit surditas, exortis biliosis dejectionibus, desinit: aph. 28 sect. 4. Id fieri videtur hoc modo, propter maximam relationem quæ apparet inter mixtionem bilis & ceruminis aurium.

Corpus eorum qui non omninò leviter febricitant, in eodem consistere, & nihil remittere, vel etiam magis quàm ratio postulat extenuari, grave est. Illud siquidem morbi diuturnitatem, hoc verò imbecillitatem significat, aph. 28 sect. 2; in priori casu non fit subactio nec dissipatio ulla humoris morbiferi sicut nec aliorum, irritâ febre sat potenti; undè apparet coctionis difficultas, sive quia

quia humor tenacior exiſtit, ſive quia forſan ille partim auſugit cellularem in textum. In caſu verò nimiæ extenuationis, nimius è contrà detritus accidit nimiaque diſſipatio, quibus indicatur major acrimonia humoris peccantis, tùm major teneritudo ſanguinis; undè affertur nimia proſtratio virium, adeoquè magna coctionis bonæ incertitudo.

Quibus per febres rigores contingunt ſexto die, difficulter judicantur, aph. 29 ſect. 4. Docente obſervatione, dies ſextus plerumquè malè judicat. Undè rigor contingens hoc die, præbet ſignum judicationis incertæ, ſicut experientiâ compertum eſt, aliundèque difficillimè explicaretur. De die ſexto, vid. pag. 268.

* *Quibus paroxiſmi fiunt, quânamcumque horâ febris dimiſerit, ſi horâ eâdem poſtero die prehenderit, judicatio difficilis eſt*, aph. 30 ſect. 4. Hìc intelligendi ſunt paroxiſmi contingentes in febribus continuis more febrium intermittentium. Proindè ibi agitur de febre tertianâ continuâ quam ſemi-tertianam vocabat Hippocrates, & quam difficillimè ſanari obſervaverat, ſicut hodiè obſervatur. Quarè verò ea paroxiſmorum regularitas abſoluta deſignet judicationem difficilem fore, intelligitur ex eo quòd ea renunciet conſtantem humoris tenacitatem, quæ ideò mutationem ullam haud facilè recipit, atque ita reſiſtit coctioni.

Quartus ſeptenariorum index eſt: octavus alterius ſeptimanæ eſt principium. Undecimus etiam ſpectandus dies, ipſe enim ſecundæ ſeptimanæ quartus eſt. Rursùs quoque ſpectandus decimus-ſeptimus, hic enim eſt quartus à decimo-quarto, ſeptimus verò ab undecimo, aph. 24 ſect. 2. Hìc deſignantur dies indicatores criſium ergà morbos acutiores, qui nempè judicantur ſpatio trium ſeptimanarum, & diebus quidem ſeptenariis aut ſemi-ſeptenariis. Deſignantur inquam dies in quibus aliqua coctionis jam incœptæ ſigna apparent, quæ criſim certo die determinato fu-

turam pollicentur. Videantur quæ dicta sunt ubi de diebus criticis, pag. 234 & 258.

Quoniam verò Hippocrates usu longo compererat crises sudorum viâ eventuras prænunciari diebus indicatoribus sibi propriis, non solùm in morbis acutioribus intrà tres septimanas terminandis, sed & in acutis *ex decidentiâ* dictis; eos dies indicatores crisium per sudores faciendarum refert aph. 34 sect. 4, ubi legitur: *sudores febricitantibus boni, qui cœperint tertio die, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo-quarto, decimo-septimo, vigesimo-primo, vigesimo-septimo, trigesimo-primo, & trigesimo-quarto: ii enim sudores morbos judicant. Qui verò aliter contingunt, vel mortem, vel dolores, vel morbi longitudinem, vel recidivas significant.* Videantur ea quæ ubi de criticis diebus, pag. 259.

Datur & aliqua exceptio ergà diem quartum, tanquàm indicatorem respectu hæmorrhagiæ per nares, quæ refertur his verbis coacâ 133: *sanguinis ex naribus fluxus in febre ardente quarto die superveniens, malo est, nisi aliud quidpiam benè acciderit. Quòd si die quinto contingat, minùs adfert periculi.* Notatur itaque crises sanguineas plerumquè tardiores esse. Si ergò narium hæmorrhagia prænuntietur tali fluxu jam contingente per diem quartum, metus est nè omninò symptomatica sit, procedens scilicèt à dissolutione partis rubræ sanguinis ob summum putrorem. Quia verò ea hæmorrhagia quandoquè die quarto criticè prænuntiatur, dicitur eam malam tunc esse, *nisi aliud quidpiam benè acciderit*; quod aliud quidpiam præsertìm quærendum in qualitate pulsûs coctionis, aliisque signis pepasmum indicantibus & experientiâ cognitis.

Prætereà, aliud adhuc egregium factum observationis notatur coacâ 128. Nempè, *si venæ temporum in febribus pulsent, & facies benè habita fuerit, absquè præcordiorum mollitie, longum*

fore morbum ſperare oportet, qui nec ſine liberali ſanguinis ex naribus profuſione, aut ſingultu, aut convulſione, aut coxendicum dolore, deſinet. Poſteà legitur, coacâ 131, *in febre ardente laborantibus, ſi aurium ſonitus cùm viſûs hebetudine & ad nares gravitate accedant, niſi ſanguis ex naribus profluat, furioſa & vehemens mentis motio metuenda eſt;* quia ſcilicèt ea phœnomena circà caput contingentia oriuntur, vel à ſanguine qui ad cerebrum ſymptomaticè fertur impetu febrili, vel à ſtatione ſanguinis critici circà eaſdem partes. Si caſus primus, exſpectanda & præcavenda phrenitis: ſi ſecundus, narium hæmorrhagia critica, quam & prævidere licet *alio quopiam benè accidente*, nempè ſignis pepaſmi tunc præſertìm obſervandis in pulſu naſali, quâ notitiâ carebant veteres Medici omnes antè Galenum.

Febricitanti ſi ſudor contingat, febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem, aph. 56 ſect. 4. Talis itaque ſudor minimè criticus eſt, ſed omninò crudus, qualis præſertìm fit per initia aut per decurſum febris in conſtitutione inflammatoriâ, abſquè ullis ſignis pepaſmi. Proindè talis ſudor magnum indicat laborem, ſanguinem ſiccat, peragendæ nocet coctioni, atque ita malus eſt. Quod idem dicendum de ſudore ſimiliter erumpente in febribus humoralibus ſimplicibus aut putridis. Verùmtamen quandò ſudores perindè crudi accidunt, quin adfuerit febris magna, aut ſi adſit febris duntaxat catharralis; cùm ii ſudores nequaquàm procedant ab impetu febrili nimio, non aliam incuſant cauſam præter majorem catharralem humiditatem crudam, qualis etiam ſolet eſſe quandò æſtas fit veri ſimilis, ex aph. 6 ſect. 3. At verò talis humiditas difficiliùs admittit pepaſmum, atque ità tardiorem judicationem pollicetur.

Quibus per febres morbus regius antè diem ſeptimum accidit,

malum, aph. 62 sect. 4 : observatio itaque docuit icterum tunc supervenientem esse symptomaticum, proindèque malum, quatenùs designat ingentem bilis copiam. Verumtamen icterus antè septimam diem contingens quandoquè non ita malus est, nempè si fiat simul humorum confluxus per alvum aut vesicam, vel & si cùm ipso incidat larga narium hæmorrhagia, quibus in casibus icterus criticus fit. Hunc felicem illius eventum plurimâ observatione confirmat Hippocrates, lib. 1 de morb. vulg. sect. 3, constitutione tertiâ. *Quibusdam*, inquit, *febre scilicèt ardente laborantibus, morbus regius accidit sextâ die ; verùm his purgatio per vesicam, aut alvus exonerata profuit, aut larga sanguinis eruptio. Quibus autem non accidebant hæc, peribant.* Prætereà idem observator declaravit, lib. de victu acutorum, criticum characterem icteri antè diem septimum accidentis desumendum quoque esse ex rigore concomitante. *In febre biliosâ, antè septimum diem*, inquit, *cùm rigore morbus regius accedens, solvit febrem. Verùm sine rigore si accedat, extrà temporis occasiones, periculosus est.*

Si febre vexato, nullo existente in faucibus tumore, subitò accidat strangulatio, lethale, aph. 34 sect. 4. Tunc equidem timenda est metastasis suprà laryngem & pulmones, sicut illa perindè verenda est suprà organa deglutitionis & musculos colli, in casu aph. 35 sect. ejusdem qui hic est : *si febricitanti collum pervertitur, ac vix deglutire possit, nullo existente tumore, lethale.* Talis enim tumor designaret humores foràs verti, adeòque bonum eventum portenderet, sicut de anginâ docetur, aph. 37 sect. 6.

Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi cùm delirio contingit, lethale, aph. 50 sect. 4. Cùm enim respirationis integritas magnam vim habeat ad salutem in morbis acutis qui cùm febre sunt, quatenùs illâ spirandi facilitate designetur benè se

habere vitalia organa : ità è contrario ſpirandi difficultas tunc mala eſt, quandòquidem denunciat difficilem ſanguinis trajectum vitalem per pulmones. Verùm ſi delirium ipſum advenerit, tùm ſi illud ſuperveniat factâ priùs difficultate ſpirandi (ſicut ſæpè fit), illud utrumque pejus eſt, majuſque abhinc imminet periculum. Similia enim accidentia teſtificantur vaſa cerebroſa infarcta eſſe ſimul & pulmonica.

In febribus non intermittentibus, ſi partes externæ ſint frigidæ, internæ verò urantur & ſiti vexentur, lethale eſt, aph. 48 ſect. 4, quod repetitum legitur n°. 74 ſect. 7. Quandò ventriculus inflammatur ſolet vigere febris *lypiria* dicta, ob concomitantem algorem, calore tunc veluti deficiente in externis, dùm interna uruntur, ſiticuloſis interim areſcentibus faucibus; hoc idem quoque fit quandò præcordiales partes inflammatæ ſunt, vel & cor ipſum, occaſione vulneris aut peripneumoniæ graviſſimæ. Porrò id lethale eſſe patet, ſed & dantur alii caſus in quibus calor deurens mordet interiora, nec ſine mortis periculo; quandò nempè febriles materiæ ſummè acres & putridæ viſcera veluti erodunt, viribus ſimul ita exhauſtis ut impares ſint calorem in peripheriâ corporis producere ac fovere : tunc enim gangræna exſpectanda.

Quibus in febribus ardentibus tremores contingunt, his delirium ſolutionem affert, aph. 26 ſect. 6 : hocque repetitum legitur coacâ 132. Tremores de quibus hìc agitur, ii ſunt ſubſultus verè convulſivi quibus delirium ſæpè ſuccedit, quandò nempè adaugetur cerebri infarctus à quo prædicti oriebantur tremores. Illud quidem delirium ſolvit eos, id eſt, ceſſant tremores adoriente delirio; ſed ii duntaxat delentur ob ſupervenientiam gravioris alterius accidentis. Anilem profectò obſervationem feciſſet Hippocrates, ſi talem tremorum ſolutionem aliter intellexiſſet.

Verùm eam memoraſſe apparet, nè aliqua fides adhiberetur ſimili eorum tremorum ceſſationi.

Prognostica Hippocratis ergà epocham criſeos.

Si rigor, febre non intermittente, incidat, ægro jam debili, lethale eſt, aph. 46 ſect. 4. Inſtante continuæ febris terminatione fauſtâ, rigor aliquandò accidit inter alia ſigna critica, & paulò poſt ſupervenit critica evacuatio ſalutaris. Verùm ſi ægrotans jam multùm debilitatus à febre rigeat ſine ſignis criticis aut cùm ſignis malè expreſſis & inconſtantibus, eo rigore deſignatur quòd natura quidem invitet calorem beneficum quo indiget, & quòd criſim moliatur quantùm ipſi per reſiduas vires licitum eſt; ſed his in circumſtantiis vita nimioperè debilitata, ac ſubacta propemodùm, nonniſi incaſsùm tentat expulſionem criticam humoris à quo opprimitur. Undè magnum tunc habetur periculum nè, poſt tantum laborem, cor tandem ſileat & mortali frigori tradatur corpus humoribus mirabiliter degeneratis turgidum, facto ſæpiùs effluxu ichoris ſanguinei per nares, eo inſtanti quo vita aufugit.

In febre non intermittente, ſi labrum, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus pervertatur; ſi viſus, ſi auditus defecerit, ægro jam debili, quidquid ex his evenerit, in propinquo mors eſt, aph. 49 ſect. 4. Id enim indicat ſphaceloſam gangrænam alicubi partium nobilium latere, vel & inſigni degeneratione putridâ infectum eſſe ſanguinem & nervos. Quibus ita ſe habentibus, accidit ut miaſma gangrænoſum vel putridum producat maximam ſpirituum alterationem, atque perturbationem ſeu *ataxiam*; hìncque non ſolùm ſuccedant convulſivi motus, ſed & ipſummet cerebrum evadat incapax percipiendis ſonitibus, ſicut nec impreſſionibus luminis.

Similem quoque faciei & physiognomiæ totius perturbationem tanquàm signum proximæ mortis notabimus, aut dicemus saltem valdè ominosum quidpiam subesse, si palpebris non commissis per somnum aliquid ex albo subappareat.

Spectare verò oportet quæ etiam ex oculis per somnum apparent, inquit Hippocrates aph. 52 sect. 6. *Etenim si quid ex albo, non exactè commissis palpebris, subappareat, neque id ex alvi profluvio, aut potione purgante contingat, pravum signum est, & lethale admodùm.* Hoc enim observatione dignum est, quòd impressiones saburræ intestinalis pravæ ac præsertìm cholericæ, sicut & punctiunculæ acrium catharticorum resinosorum suprà intestina, capaces sint hanc faciei humanæ stupendam inducere mutationem: quæ quidem in cholerâ deleri docilis est affuso potu aquoso copiosiori, tùm adhibito medio quodam sedante ubi superpurgatio adest; sed si talis faciei perversio contigerit in febricitante cujus cerebrum infarctum apparuit, habetur signum lethalissimum. Hinc enim renunciatur summa virium exsolutio, putridaque infectio cerebri maximè funesta, contrà quas non datur medicamen.

Quibus in febribus, aut aliis morbis, oculi ex voluntate illacrymant, nullum est malum. At quibus præter voluntatem, periculosius est, aph. 52 sect. 4. Nam mechanica & involuntaria lacrymatio designat irritari atquè obrui lacrymales glandulas, ob impetum sanguinis appellentis; proindèque magnum esse periculum nè cerebrum valdè vicinum & affine pariter obruatur, vel & nè jam deliris ludatur imaginibus.

In febribus abscessus, nisi primis judicationibus solvantur, morbi longitudinem significant, aph. 51 sect. 4. Ubi apparent quidam abscessus circà prima tempora critica, iique tunc completâ & judicatoriâ suppuratione non solvuntur, satis ex eo ipso constat

eas febres diuturnas futuras esse, vel quia humor ægrè subigendus existit, vel quia natura imbecillior est.

Febre ardente detento, rigore superveniente, solutio fit, aph. 58 sect. 4. Hic rigor nihil aliud est quàm succussio & tensio systematis irritabilis, nata tempore critico ob conamen naturæ coctam materiem febrilem mox expulsuræ. Qui rigor stipatus est pulsu coctionis & critico, ideòque differt ab eo rigore qui cùm frigore & irritato pulsu contingit febricitanti jam debilitato, aut qui sextâ die accidit, de quibus aph. 46 & 29 sect. ejusdem. Quanta in utroque concomitantis pulsûs diversitas! Cùm rigore critico criticus pulsus est : irritatus verò cùm aliis.

Quibus per febres aures obsurduerint, sanguis ex naribus profluens, aut alvus exturbata, morbum solvit, aph. 60 sect. 4. Aures in febricitantibus obsurdescunt duplici de causâ : quæ utraque surditas statim accidit si symptomatica sit, tardè verò si ad crisim tendat. Nempè obsurdescunt aures, vel idiopathicè propter sanguinis stationem circà basim cranii, vel symptomaticè propter humoris biliosi stationem in propriis organis suis, aut illius admixtionem cùm cerumine aurium. Prior autem spontè solvitur sanguine ex naribus profluente cùm pulsu nasali; posterior verò per diarrhæam criticis quoque suis notis insignitam. Undè luculenter etiam affulget explicatio aph. 28 sect. 4, data pag. 288, in quo notatur cessare dejectiones biliosas suboriente surditate, desinere verò surditatem præexistentem supervenientibus dejectionibus biliosis. Eâdemque ratione observatur alvum evadere pigriorem apud homines ultràvirilem ætatem agentes, quandò eorum aures hebetantur.

Alvus in febre ardente affatim prorumpens, mortis periculum adfert, coacâ 129. Crises equidem intestinales non sic cùm impetu accidunt, nec *affatim* prorumpunt. Solent eæ prænunciari

ciari à molli quâdam abdominis renitentiâ borborygmis ſtipatâ, ut & humiditate linguæ, præſertìmque à pulſu inteſtinali paulò anteà obſervabili. Sed in caſu hujus Coacæ, fluxus alvi affatim prorumpens, liquidior & fœtens admodùm, indicat lethalem colliquationem putridam, quæ & pulſu parvo debili & formicante ſtipatur, nedùm ſit magnus, ſatis fortis molliſque & intermittens, ſicut datur in diarrhæâ criticâ ſalutari.

Quibus ſublata hypocondria murmurant, lumborum ſuccedente dolore, iis alvi admodùm humectantur, niſi flatus erumpant, aut urinæ copia prodeat. Hæc verò in febribus contingunt, aph. 73 ſect. 4. Tunc habetur hæſitatio inter criſim urinariam & inteſtinalem, quam alterutram datur præcognoſcere ex pulſu coctionis præcedente, cui ſuccedit pulſus criticus alterutrius cloacæ.

Quibus per febres, die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo-quarto, morbus regius ſupervenerit, bonum, niſi hypocondrium dextrum obduruerit: alioquì, non benè eſt, aph. 64 ſect. 4. His quidem febris diebus ſuperaccidens icterus, fit à bile copioſâ ſed coctâ. Quæ certè quidem biliares ductus excretorios obruit per modum torrentis cujuſdam; ſed quæ præ fluxilitate benignâ quam obtinuit à febre, valet ſucceſſivè, continuò & cùm levamine eliminari petendo inteſtina: undè tollatur tota febrilis materies billioſa, atque ideò ſanetur ægrotans. Verùm ſi in ictero tunc contingente durum evadat dextrum hypocondrium, ille icterus tanquàm malum maximè anceps è contrà habendus eſt. Durities enim hæc denotat quòd magna portio bilis morbiferæ adhùc ſpiſſa & tenax hæreat in finibus venæ portarum; quæ materies, ſi hùc uſquè ſervaverit viſcoſam qualitatem ſuam (irritâ coctione alterius portionis bilis), forſan illa non poterit deindè attenuari, emendari, concoqui: ideòque nec ſcandere bilioſos hepatis poros, nec in ejus parenchymate

resolvi, sicut necessum est ad solutionem duritiei hepatis. Quinimò ipsa febris quæ manet superstes, movendo nimis hanc materiem induratam, capax est ibi creare abscessum pessimum, aut potiùs scirrhum adducere cùm periculo subsecuturi in posterùm carcinomatis. Undè etiam patet quàm meritò doceatur, aph. 42 sect. 6, *morbo regio laborantibus jecur durum fieri, malum.* Cùm enim his in circumstantiis totus curationis cardo vertatur in adhibitis diluentibus & aperientibus, valdè timendum est nè hæc omnia incassùm administrentur, præ nimiâ materiei obstruentis induratione, aut majori saltem illius pronitate ad concrescendum. Neque ipsa febris unà cùm prædictis mediis capax esset talem hepatis duritiem solvere, propter dispositionem quamdam inflammatoriam adjunctam : eâque de causâ noceret potiùs, quatenùs valeret ibi determinare suppurationem pravi moris, aut reddere hepar gangrænosum vel carcinomatodeum. Tamen verò si daretur simplex hepatis vel lienis infarctus, seu in ictero levi, seu extrà icteri occasionem (dummodò ii forent absquè duritie & inflammatione), febris ardens tunc suborta hunc forsan infarctum resolveret, bonamque adduceret crisim. In hunc sensum videtur conscriptus aph. 40 sect. 6, qui hic est: *quibus ad hypocondrium dolor citrà inflammationem oritur, iis febris succedens dolorem solvit;* qui eventus etiam annumerandus est inter emolumenta ex febre obtinenda, quorum levis habetur mentio, pag. 280.

Quibus spes est ad articulos abscessurum, ab abscessu liberat urina copiosa, valdè crassa, & alba reddita, qualis in febribus cùm lassitudinis sensu quarto die quibusdam fieri incipit. Quòd si ex naribus etiam sanguis effluxerit, tùm brevi admodùm levatur æger, aph. 74 sect. 4. Tunc enim materies productura abscessum articulorum resorbetur ex textu cellulari, in quo delitescebat &

coquebatur, eaque deindè eliminatur per cloacam renalem, vel & admixta ſanguini naribus deſtinato, viam ſibi facit & producit criticam hæmorrhagiam.

Quibus per febres laſſitudinis ſenſus ineſt, iis ad articulos, & circà maxillas potiſſimùm abſceſſus decumbunt, aph. 31 ſect. 4. Putare fas eſt humores febriles lentos quoſdam præprimìs admiſceri cùm humoribus ſynovialibus, ob quamdam affinitatem mutuam, hìnc laborare organa ſynovialia, & oriri hunc ſenſum laſſitudinis per febres. Propterea tandem eos decumbere humores in articulis, ſed potiſſimùm circà maxillas quibus vicinæ ſunt glandulæ plurimæ, ab humoribus quoque lentis haud difficulter ingurgitandæ.

Quibus adſunt febres longæ, iis vel abſceſſus, vel dolores ad articulos oriuntur, aph. 44 ſect. 4: ſaltem id plerumquè accidit in ægrotantibus cùm febre longâ conflictantibus abſquè ullâ ferè medicatione. Ne credatis tamen hunc aphoriſmum ratione deſertum eſſe. Quandò ægrotans diù lectulo ſuo immotus ferè affigitur, (naturâ ſibi ipſi præſertìm relictâ), tunc defectu motûs, ſynovialia organa viru febrili conſpurcata facillimè affici haud ità abſonum, quia inviſcantur ſynoviali humore ob quietem non detrito, ideòque inſpiſſato. Quin etiam, ut ſcribitur aph. 45 ſect. ejuſdem, *quibus aut abceſſus, aut ad articulos dolores poſt febres longas oriuntur, ii copioſiſſimis cibis utuntnr*; nempè quia cibis copioſioribus aſſumptis à corpore nondùm inſtaurato, accidit ut eorum animaliſationis penſum malè abſolvatur. Quâ ratione articuli per febrem debilitati, & ob quietem infarcti viſcoſo naturali ſuo unguine, obruuntur ab adveniente ſuâ portione alimenti copioſioris, ideòque malè elaborati: undè decubitus inflammatorius ſuccedente ſuppuratione depurandus ſupervenit, vel dolens ſaltem ſynovialis quidam infarctus.

Quibus verò convaleſcentibus ex quovis morbo, pars aliqua dolore vexatur, illic abceſſus ſiunt, aph. 32 ſect. 4; quandò propter imperfectam criſim aliquid retentum eſt, illud deponitur ſuprà debiliorem partem, qualis eſt pars tunc dolens, quæ ideò præ aliis afficitur. Quâ ratione apparet, ſecundum membrum aphoriſimi trigeſimi ſecundi diſſiliiſſe in unam diſtinctam ſententiam errore Librariorum, hìncque factum eſſe aphoriſmum 33um. qui ſic ſe habet : *quin & ſi pars antè morbum laboraverit in eam ſe morbus obſirmat*; quod quidem pariter evenit in morbo eſſentiali, perindè ac in ſecundario.

Febricitantem, niſi die critico febris dimiſerit, reverti ſolet, aph. 61 ſect. 4. Videantur quæ dicta ſunt de hâc ſententiâ, ubi de diebus criticis, pag. 263.

Quibus per febres ſanguinis copia alicundè profluxerit, iis cùm reficiuntur alvi perhumectantur, aph. 27 ſect. 4. Penuriâ boni ſanguinis debilitantur recrementa omnia, proindequè digeſtiones evadunt crudiores; undè fit diatheſis plùs quàm juſto humida, quæ expellenda incumbit prout vita invigoratur.

Hùc demùm revocandus quoque aphoriſmus 12us. ſect. 2, jam multoties repetitus & facilè intelligendus, qui hic eſt : *quæ in morbis poſt judicationem intùs relinquuntur, recidivam faciunt*. Nihil enim morboſi impunè retinetur, illudque recidivam aliumve morbum ſæpè extraordinarium facit, niſi favente corporis robore, aut optimâ ſaltem ratione vivendi, illud pedetentim eliminetur.

Prælibatæ ſufficiant annotationes circà præcipuas prognoſes in febribus faciendas, ad hoc ut demonſtretur quantùm fructûs colligendus ſit in lectione operum Hippocratis. Qui enim vellet omnes ejus Medici ſententias inſignes memorare in hunc ſenſum,

plures ejusdem libros de verbo ad verbum conscribendos haberet. Deveniamus ad examen febrium intermittentium.

§. II.

Febres intermittentes.

Febris intermittens dicitur ea quæ per vices sævit, datâ plenâ apyrexyâ seu infebricitatione inter duos paroxismos.

Distinguitur multiplex. Nempè quotidiana, tertiana & quartana, prout nimirùm febris quotidiè invadit ac desinit, vel tertiâ tantùm aut quartâ quâcumque die. Tertianas præsertìm æstate oriri notatur aph. 21 sect. 3, quartanas autumno, ex aph. 22 ejusd. sect.

Ordo secundùm quem accessiones seu paroxismi recurrunt, vocatur typus seu modus; intermissio autem, spatium febre vacuum inter duas accessiones.

Quæcumque febres intermittentes aliæ aliis sunt magis regulares. Omnium magis regularis quartana: tertiana minùs: adhuc minùs quotidiana, quæ de die in diem sic variare solet ut brevì abeat in continuam plerumquè pessimam. Undè ipse ego lubenter spectaverim quotidianam febrem tanquàm febrem continuam larvatam, cujus remissio statim quidem sensibilis est admodùm, sed quæ statim etiam corripitur ac evanescit. Febris verò continua præsertim abdita latet in eâ febre quotidianâ putatâ, quæ subintrans appellatur.

Medici nonnulli crediderunt agnoscendas quoque esse febres intermittentes quintanas, septimanas, imò & nonanas, quas ipse Hippocrates appellat, lib. 1. de morb. vulg., pag. 36 Foës. Sed omninò dubium mihi videtur eas febres spectandas esse tanquàm totidem reales & constantes febrium differentias. Eæ

enim potiùs sunt febres tertianæ personatæ, imò & forsan quandoquè febres quartanæ. Febris itaque quintana nihil unquàm mihi apparuit, nisi febris tertiana valdè irregularis & degenerata apud ægros intemperantes, (aut perperàm tractatos, aut plurimas recidivas passos), cujus nempè paroxismus unus non fuit sensibilis. Imò eadem febris tertiana videbitur septimana, si duo insultus siluerint: si tres, nonana.

Quantùm saltem licet domesticas observationes suas allegare, asseveranter dixero me hinc indè aliquot quidem vidisse inconstantes paroxismos febriles apparenter quintanos, aut septimanos: sed eos me tantummodò vidisse in decursu tertianæ febris provectæ, potissimùm recidivæ, admodùmque degeneratæ & irregularis: qui paroxismi hunc characterem quintanæ aut septimanæ febris nunquàm servarent ultrà unam aut alteram accessionem, quâ elapsâ, febris iterùm appareat tertiana magis vel minùs irregularis: vel & sæpiùs febris lenta singulis diebus exacerbescens & pessimam cachexiam concomitans.

Quod diximus de quintanâ & septimanâ febre, illud pariter intelligendum est de nonanâ; quæ tamen, ut & septimana, posset quoque forsan apparere ubi unus vel duo quartanæ febris paroxismi successivi paterentur eclipsim. Enim verò non multùm interest de hâc distinctione nimis seriò occupari; quoniàm ea non sunt artis, quæ tàm rarò observantur ut ipse Medicorum Princeps de illis nonnisi per transennam locutus sit. Eas ideò observationes censemus admodùm incertas imò inutiles, sed meliora doceri sumus paratissimi.

Realis verò & ab omnibus accepta est intermittentium febrium distinctio in endemicas, epidemicas & sporadicas, in vernas & autumnales, tùm in simplices & compositas. Priores noscuntur ex ipsâ denominatione, vernæ audiunt quæ à mense februario

in auguſtum dominantur, autumnales quæ ab auguſto in februarium. Simplices demùm vocantur quæ ſunt conſtanter quotidianæ, aut tertianæ, aut quartanæ. Compoſitæ verò, ſi duæ febres ejuſdem ſpeciei invicem complicatæ fuerint. Ex. gr. ex duabus quotidianis febribus eodem die invadentibus fit quotidiana duplicata, quæ valdè rara eſt, ſi poſſit ſaltem dici illam aliquandò conſtanter obſervari. Ex duabus tertianis invicem incatenatis componitur tertiana duplicata, in quâ paroxiſmus unus ſingulâ die accidit, ſed ita ut qui ſimiles ſunt alternis diebus revertantur. Deniquè ex duabus aut ex tribus quartanis complicatis fit quartana duplicata aut triplicata, ſic ut paroxiſmi ſimiles & ſibi mutuò reſpondentes, quartis quibuſcumque diebus recurrant.

Complicari quòque febrem intermittentem cùm febre continuâ plurimi contendêrunt Medici. Sed, ut opinor, verius eſt febrem tertianam aut quartanam non rarò continuam fieri, nempè quandò earum paroxiſmi continuantur quouſquè nulla ampliùs remaneat intermiſſio, continuatâ nempè irritatione febrili.

Tertiana ſic continuata conſtituit febrem ſemi-tertianam Hippocratis, de quâ dixit morbos acutos in eâ accidere, tùm eam præ cæteris eſſe lethalem; quæ ipſa eſt *tritheophia* ſeu *tertianaria* Galeni, tùm *hemitritea* Celſi. Quartana verò continua conficit *tetartophiam* Sauvageſii. Quæ febres ſemi-tertianæ, tritheophiæve aut hemitritiæ dictæ exacerbeſcunt diebus imparibus, ſicut tetartophiæ exacerbeſcunt diebus paribus; eæque conſtituunt eas febres quarum dies critici (diebus paribus & imparibus accidentes) meritò diſtinguendi ſunt à diebus criticis ſeptenariis, ſicut notavimus, pag. 261 & ſeq.: cùm hâc obſervatione, quòd criſes diebus paribus aut imparibus accidentes non videantur ab ipſomet Hippocrate comprobatas fuiſſe obſervationibus ſatis numeroſis & explicitis.

Plurimas hemitriteas febres diebus alternis seu imparibus exacerbescentes in hâc Provinciâ vidimus æstate & autumno anni 1782, quæ mox per initia apparebant continuæ, deindèque alterno quoque die exacerbescebant: mox verò fingebant tertianam quæ brevì posteà in continuam abibat. Quæ omnes febres erant maligni moris, biliosumque putrorem valdè lethalem recondebant.

Similiter, ab æstate 1783 tales febres adhuc maligniores grassatæ fuerunt apud nos, imprimìs apud Graïacenses, quæ efficiebant paroxismos apoplecticos, mox singulâ, mox tertiâ quâque die revertentes, eosque lethales admodùm; ad quos reprimendos & delendos aliquotiès profuit cortex Peruvianus, exhibitus ad duas uncias & ampliùs in unâ die.

His prælibatis de febrium intermittentium variâ specie, moribusque variis, deveniendum ad earumdem causas & symptomata, tùm ad diagnosim & prognosim.

CAUSÆ.

Causa febrium intermittentium in genere videtur esse pecuiliaris cacochylia primis viis hærens, quæ ad sanguinem delata inficit flavam potissimùm partem ejus, ideòque speciatim aggreditur viscera præparandæ ac secernendæ bili dicata, in quibus stases sui generis facit: quæ & prætereà generi nerveo singulariter nocet præsertìmque nervis vitalibus.

Solemne est hanc cacochyliam peculiarem in omni ætate aliquandò produci ab intemperantiâ pravisque digestionibus; eâque de causâ omni tempore passim enasci febres intermittentes sporadicas. Verùm etiam notatur eamdem dispositionem aliquandò endemicam fieri certo anni tempore, imprimìsque vere & autumno, apud populos aquis statariis utentes, paludosa habitantes

habitantes loca quorum ſtationariæ arefactiones ſuppeditant multum inflammabilem aërem aliaſve emanationes ſingulares; quæ omnia efficacitatem majorem obtinent quandò tales exhalationes accipiuntur à ventis borealibus. Sæpè quoque ſimilis diſpoſitio febrifera alicubi popularis fit, occaſione tempeſtatis borealis, ſicut & propter vitiatam communem annonam aut ſuſceptum frigus nocturnum (ſicut non rarò fit in caſtris): vel & propter alias cauſas abditas. Quibus cauſis communibus in actum ducendis aliundè favent quædam circumſtantiæ locorum, reſpectu ſitûs eorum ergà montes planitieſque aut valles, ſicut & ergà ſolis aſpectum.

Quibuſcumque verò de cauſis cacochylia hæc ſingularis generata fuerit, ubi ea ſufficienter penetravit viſcera bili præparandæ conſecrata, tunc viſcera hæc mediante regimine ſuo valent gignere ſingularem generis nervei ſenſum erethyſmalem, atque ideò febrilem reactionem exſtimulare, ab horrore magno incipientem & deindè valdè æſtuantem; cujus reactionis beneficio diluatur diſſolvaturque & expellatur principium febriferum priùs ſuſceptum; adeò ut poſt æſtum febrilem qui labitur ſpatio temporis quod à 6 horis ad 12 extenditur, ſoleat contingere evacuatio veluti critica per copioſos ſudores, quibus effuſis deſinat febrilis paroxiſmus, liberatis hoc pacto viſceribus ipſoque ſanguine: & conſequenter reſtituatur vitæ tranquillitas magis vel minùs lucida, prout depuratio hæc magis vel minùs perfecta fuit: ad quam abſolvendam non parùm quoque conferunt urinæ copioſæ, valdè rubræ, turbidæ, jumentoſæ, multum ſedimentum deponentes, dùm eæ initio paroxiſmi ut plurimùm crudæ & tenues ſunt.

Sed quia depuratio vi febris inducta nequit delere vitium primis viis adhærens, ibique perpetuò fotum ac reproductum (præſertim

ſi faveat intemperantia) : hinc evenit ut, terminatâ febrili acceſſione, ſanguis ejuſque portio flava iterùm inficiantur, quouſquè accidat alterius paroxiſmi occaſio priori ſimilis, ſimili etiam labore & eventu receſſuri. Qui paroxiſmus alter, citiore vel tardiori paſſu adveniendo, breviorem aut longiorem infebricitationem permittit.

Prout nimirùm febrilis primarum viarum materies, vel & ſimplex forſan ejus aura, gaudet majore vel minori mobilitate, acrimoniâ & penetrabilitate : tùm prout nervis citiùs reſtituitur major minorve ſenſus erethyſmalis, diverſum requiritur temporis ſpatium ad hoc ut inducatur apparatus paroxiſmi ſubſecuturi. Conſequenter, ubi omnia hæc regulariter procedunt, ſpatium inter acceſſiones febriles liberum ſervatur idem, ut & idem typus in paroxiſmis. Undè ſi febris v. g. tertiana fuerit aut quartana, ea utraque regularis manet : id eſt, poſt horas aliquot in æſtu febrili elapſas deſinit tertiana, quæ reditura erit exhauſtis deindè horis circiter triginta-ſex abſquè febre. Pariter quartana, exhauſtato acceſſu caloris qui viget 5 vel 6 horis cùm gravitate capitis, ceſſat ut plurimùm ſine evacuatione ſenſibili ; eaque regulariter redit poſt intermiſſionem horarum circiter ſexaginta-ſex & quandoquè paulò ampliùs.

Verùm ſi humor febrilis evadat copioſior aut penetrabilior : ſi nervi faciliùs fiant participes ſenſibilitatis majoris, aut ſi ſanguis affectaque cùm eo viſcera minùs perfectè liberata fuerint auxilio paroxiſmi præcedentis : his in circumſtantiis citiùs contingente complemento febrilis apparatûs, citior redit acceſſio nova, & vice verſâ tardior. Undè, v. gr., febris tertiana quæ meridiè primitùs invadebat, nunc invadit decimâ horâ, vel & è contrario horâ tantummodò ſecundâ pomeridianâ, ſi nempè circumſtantiæ prædictis contrariæ fuerint. Adeò ut ſi febrilis

dispositio perrexerit fieri magis prona, febris tertiana haud tardè abitura sit in continuam: sicut vicissim abit in quartanam, ubi eadem dispositio constanter segnior evadit.

Pari ratione, quandò febris quartanæ principium majorem acquirit mobilitatem, simulquè pars nervea viscerum erigitur magis quàm fieri solet in hoc affectu: tunc quartana sensim accelerata degenerat in tertianam, imò & quandoquè in continuam febrem: sicut contrariis de causis ea sæpiùs videtur abire in febrem chronicam & cachecticam, hinc indè levibus quibusdam & irregularibus paroxismis veluti scintillantibus; ex quo statu sobolescit atrabiliosa hypocondriorum induratio cùm leucophlegmaciâ pessimâ, undè non rarò ipsemet oritur hydrops ascites dictus.

Præterea verò, quamvìs febriles accessiones singulæ soleant quamdam adducere speciem criseos, præsertìm in febre tertianâ, sæpiùs depuratio hæc minimè perfecta est quotiès febris cessavit, seu spontè, seu ope medicamentorum. Ideò sæpè contingit ut irritis magnis induciis (quæ plerumquè procedunt ex hebetatione sensûs viscerum) nihilominùs sanguis ut & ejus pars flava maculam febriferam residuam conservent, sicut & ea quoque remanet superstes in nervis: & ut ab hinc recidiva accidat, cujus paroxismi incidant iisdem diebus, ac illi incidissent si febris nequaquàm fuisset interrupta.

Ea autem recidivarum occasio nascitur 1°. ex defectu diluentium & purgationum sufficientium; 2°. ex vitio diætæ; 3°. imprimìs, ex præpostero usu Peruviani corticis; qui cùm mirabiliter valeat suspendere vitalem reactionem febrilem, capax est obstare depurationi necessariæ: nec ideò exhibendus est quandiù datur impuritas febrilis, nisi fortè malum majus timeatur ab ipsâ febre quàm à Peruviano cortice, ut sæpè fit.

Non aliis de causis tàm frequenter evenit ut nervi simul & biliosa viscera magis magisque intingantur febrili deleterio altiùs incocto, & ut suboriantur pessimæ recidivæ, tùm obstructiones difficillimè vel nunquàm tollendæ, atque ideò mala ab hìnc pendentia.

Sæpè etiam tertianæ febri simplici superaccidit altera febris pariter tertiana, cujus nempè accessiones alternè quoque fiunt diebus à priore febre vacuis: & similiter febri quartanæ primordiali altera quartana supervenit, imò & quandoquè duplex, quarum quartanarum de novo adnatarum accessiones sæviunt quartis quibusvis diebus, mediis inter accessiones quartanæ febris primogenitæ. Quo in casu complicationis, tertiana duplicata dicitur, tùm quartana duplicata imò & aliquandò triplicata: earumque complicatarum febrium accessiones invicem incatenantur & sibi multò respondent, sicut unicuique febri proprium est & ab attendente facilè intelligitur.

Eam febrium intermittentium complicationem generari censemus, eò quòd post accessionem antecedentem citiùs renascatur dispositio nervosa febrilis, singularem erethysmum redolens: tùm eò forsan quòd fomes febrilis simul fiat copiosior & fecundior. Undè, maturiùs suppeditatâ materie febrili novâ, nervisque citiùs aptis evadentibus ad patiendam irritationem febrilem, contingit extraordinaria febris accessio omninò independens ab antecedente, quæ sævit ipso tempore intermissionis. Quæ materies de novo distributa ad novam febrem creandam (etiamsi fota & præparata fuerit dùm præcedens vigebat paroxismus), non potuit tunc temporis intussuscipi nec obtinere effectum suum: quia eo tempore quo natura jam occupatur in actuali paroxismo regulari, illa minimè capax est novæ modificationis febrilis; ad hanc enim suscipiendam requiritur idem

nervorum ſenſus tùm eadem viſcerum ſenſificatio & irritatio, ac illa quæ neceſſaria fuerunt ad primam acceſſionem inducendam. Sed ubi modificatio nervorum ac viſcerum reſtituitur, acceſſionem novam naſci neceſſe eſt, perindè ac aliæ acceſſiones primordiales renaſcuntur. Hoc verò notari meretur circà febriles acceſſiones novas quibus febris duplicatur, quòd illæ nunquàm eâdem horâ accidant, nec eumdem unquàm habeant typum ac ſolitæ acceſſiones primordialis febris: quòd illæ præterea ſint mitiores quàm priſtinæ, & quòd faciliùs ac maturiùs ut plurimùm diſſipentur, aliquandiù adhùc poſthâc vigentibus paroxiſmis febris primogeniæ.

Prædictis de causâ febrium intermittentium propoſitis, jam veniamus ad expoſitionem ſymptomatum.

SYMPTOMATA.

In ſymptomatibus febrium intermittentium quadruplex diſtinguenda eſt epocha. Prima reſpicit invaſionem: ſecunda æſtum febrilem: tertia declinationem acceſſionis: quarta tempus intermiſſionis. Optima & brevis deſcriptio trium priorum habetur apud Boerrhaavium, à §. 749 ad 751 incluſivè.

» *Febres intermittentes* incipiunt, *inquit*, cùm oſcitatione,
» pandiculatione, laſſitudine, debilitate, frigore, horrore,
» rigore, tremore, pallore extremorum, reſpiratione diffi-
» cillimâ, anxietate, nauſeâ, vomitu, pulſu citato, debili,
» parvo, ſiti maximâ. Hæc prout majora, pluraque ſimul, eò
» febris pejor, atque in ſubſequente tempore calor & cætera
» ſymptomata pejora: & hìc gradus febris primus, incremento
» reſpondens continuarum, & reliquorum maximè periculoſus;
» urina tùm ut plurimùm & cruda & tenuis. Incidens cadavera
» mortuorum in primo hoc ſtadio febris intermittentis, poſt

» anhelitus, fufpiria, ignaviam, inveni fanguinem craffum;
» impactum pulmonibus, femper tùm fuerant pulfus parvi, fre-
» quentes, inordinati. Harv. exercit. anat. cap. 16.

Quæ prædicta fymptomata indicant ftatum erithyfmalem & valdè fpafmodicum organis ipfifmet vitalibus conciliatum, quo fenfibiliter mutatur conditio motûs fanguinis ejufque confiftentia, & quem debiles, fenefque imprimis aliquandò fuperare nequeunt.

» Hunc ftatum excipit alter, incipiens cùm calore, rubore,
» refpiratione forti, magnâ, liberiore, anxietate minori, pulfu
» majori, robuftioreque, fiti magnâ, dolore artuum & capitis
» magno, urinâ plerumquè rubrâ, refpondet *ftatui* febrium
» continuarum.

Quæ phœnomena procedunt ex concitato valido motu fanguinis, humores vehementer conquaffante & terente, quandiù fufficiens febrilis ftimulus non extinguitur.

» Tùm ultimò ingens plerumquè fudor, remiffio omnium
» fymptomatum, urina craffa, fedimentum lateri contufo fimile,
» fomnus, *apyrexia*, laffitudo, debilitas.

In his ultimis phœnomenis habetur quidem fpecimen terminationis criticæ cujufdam. Nihilominùs verò plurima fubindè notanda incumbunt & hæc erit quarta fymptomatum epocha.

Hoc itaque tempore quod pertinet ad intermiffionem, fat citò pulfus fit fanorum fimilis, perfectaquè videtur infebricitatio, fi febris fuerit benigna & valdè regularis. Sed fæpiùs variis angoribus turbatur æger, pulsûfque levia irritationis veftigia ferè perpetuò præbet, potiffimùm quandò febris eft maligni moris & versùs continuam inclinat.

Imò fat generaliter obfervatur ægrotantes tempore intermiffionis plerumquè experiri varias inquietudines majores minorefvè,

eos carere appetitu, debiles esse, tùm variè agitari eam imprimìs per noctem quæ paroxismum antecedit. Quæ symptomata adhûc graviora apparent in intervallis febrium omninò degeneratarum & erraticarum, adeò ut paucissimum tunc superesse videatur sanitatis residuum. Tunc enim prædicti angores adhuc fiunt majores, variaque regnant symptomata pro varietate viscerum infarctorum: imò varietas etiàm maxima datur in paroxismis, tàm respectu invasionis eorum quàm ergà modum & durationem. Ubi verò jam febris frangitur, intervalla accessionum evadunt magis lucida, sensim redit appetitus, cæteræquè facultates corporis sensim accedunt ad sanitatem, & tandem paroxismi fiunt multò mitiores.

Diagnosis.

Diagnosis intermittentium ergà continuas facilè resolvitur ex intellectis suprà dictis, nequè arduum est tertianam à quartanâ discriminare. Si quædam daretur difficultas, ea occurreret in diagnosi febrium intermittentium complicatarum, sed facilis est solutio hujus difficultatis. Distinguitur febris duplex tertiana à quotidianâ in eo quòd paroxismi tertianæ duplicis sibi respondeant diebus alternis quoad horam invasionis, tùm quoad typum & terminationem eorumdem: dùm ea omnia similia sunt quâlibet die, si febris quotidiana fuerit. Distinguitur verò tertiana duplicata à triplicatâ quartanâ, in eo quòd sicut prioris accessiones sibi respondent alternis diebus quoad omnia: ita & illæ in posteriori sibi respondeant diebus quartariis. Sic, v. gr., in duplici tertianâ paroxismus diei lunæ est imago paroxismi diei mercurii, paroxismusque diei martis repræsentat paroxismum diei jovis, & sic porrò: dùm in triplici quartanâ paroxismus diei lunæ convenit cùm paroxismo diei jovis, paroxismus

diei martis cùm die veneris, & diei mercurii cùm die ſabatti.

Quod ſpectat diagnoſim febrium intermittentium malignarum dictarum, ea reperitur in gravitate & anomaliâ accidentium, ſimul & in majori duratione paroxiſmorum, prout illi magis accedunt ad febrem continuam. Neque operoſum eſt febres intermittentes endemicas epidemicaſque & ſporadicas ſecernere.

Dignoſcitur deniquè febris intermittens latens ſub larvâ febris continuæ, ex convenientiâ exacerbationum hujus cùm invaſione paroxiſmorum febris intermittentis, ſicut & ex plurimis aliis ſignis quæ ad typum ſpectant. Nempè ſi exacerbatio incipiat à pandiculationibus & horrore: ſi in exacerbationis fine profundantur ſudores copioſi: ſi poſthâc urinæ fuerint rubræ & lateritiæ (quæ tunc vix decipiunt): ſi exacerbationes diebus accidant ſingulis aut alternis, more febris tertianæ ſimplicis aut duplicatæ; vel & diebus paribus quartariis more febris quartanæ duplicatæ & triplicatæ: & deniquè ſi valdè ſenſibiles concedantur remiſſiones.

His etiam adde aliquandò obſervari alia accidentia benè diverſa, quæ more febrium invadunt & remittunt, & in quibus non rarò latet larvatus febris intermittentis character.

Prognosis.

Febris intermittens benigna & regularis in genere ſat brevi curatur, imò & quandoquè per ſe ſola deſinit, ſimodò æger valdè temperans fuerit paucisvè utatur medicamentis, niſi diluentibus & leviſſimis ad ſummum aperientibus catharticis.

Febris intermittens vernā præſertìm ſpectari poteſt tanquàm medicamen aptiſſimum ad movendos expellendoſque humores hyeme collectos, illaque inter cæteras facilioris curationis eſt. Paulò longiores ſunt autumnales; eæ tamen, ſi nec malignæ

nec

nec epidemicæ fuerint, nunquàm funestum habent existum nisi culpâ ægrotantis aut medelæ. Propterà Medici ab omni ævo putârunt quòd febres intermittentes benignæ disponerent corpus ad longævitatem sæpèque illud depurarent ab inveteratis malis, sicut jam suprà innuimus in prognosi febrium generali, pag. 280; idque de quartanâ febre præsertìm sancitur, lib. 1 de morb. pag. 36, Foës. his verbis: *ast omnium* (febrium) est *tutissima quartana, placidissima & longissima. Non enim solùm per se ipsa talis est, verùm etiam ab aliis magnis morbis vindicat.* Confer. aph. 70 sect. 5, paulò infrà relatum.

Enim verò si febres intermittentes negligantur præcipuèque autumnales, si ægrotantes temperanter non vivant, si medicamentis nimiùm acribus permoveantur (præsertim absquè vehiculo diluente), iique imprimis citiùs utantur cortice Peruviano: tunc eæ febres maturiùs suppressæ solent multas facere recidivas & mirabiliter degenerare in recidivis paroxismis: sæpiusquè accersunt tenacem cachexiam obstructionibus plerumquè stipatam, ideòque valdè periculosam. Tunc etiam phœnomena quædam morbosa singularia ac pertinacissima oriuntur non rarò, sub quibus larvatum manet id quod ex febre suspensâ restiterat; quod residuum febrile nusquàm potest in posterùm depurari perfectiùs, quàm ab eâdem febre iterùm adveniente, dummodò ea soli propemodùm naturæ committatur, servato simul regimine velut in febre continuâ, usurpatisque multis duntaxat diluentibus & aperientibus, nec nisi levibus catharticis: corticem deniquè febrifugum non administrando, si opus sit, nisi quandò videtur integram depurationem factam esse.

Prædicta sufficiant de prognosi febrium intermittentium generali. Verùm nonnulla peculiaria Hippocratis prognostica hìc addere juvabit.

PROGNOSTICA HIPPOCRATIS ergà febres intermittentes.

TERTIANA exquisita septem circuitibus, ut longissimè judicatur, aph. 59 sect. 4. Quoniam valdè incertum sit quid debeamus intelligere de circuitibus illis, sicut jam notavimus pag. 264; & cùm nihil simile observaverimus unquàm, censemus eam sententiam interpretandam esse per coacam 148, tùm per sententiam aliam quæ prostat lib. 1 de morb. vul. pag. 39, Foëf. quæ sic habet: *tertiana exacta celerem habet judicationem, neque lethalis est.*

De febribus tertianis continuis, quæ semi-tertianæ vocabantur ab ipso Hippocrate, agitur aph. 64 sect. 7, cujus mentio facta fuit, pag. 288.

Quibus per febres quartanas sanguis ex naribus fluxerit, malo est, aph. 3 sect. 8. Hoc non fit nisi in quartanis valdè degeneratis, valdè provectis, recidivis sæpè factis, neglectis, malè tractatis, pessimâque cachexiâ & hypocondriorum infarctu stipatis, in quibus apparet potiùs febris lenta quàm formatus ullus accessus quartanæ febris. Tunc verò sanguis faciliùs appellit ad superiora corporis loca propter majores inferiorum partium infarctus; illequè ex naribus facillimè tunc exstillat quia non solùm sanguis summoperè aquosus est, sed & quia pulposa ac naturaliter tenerrima narium membrana (veluti macerata per assiduam cachexiam) nequit sanguinem transudaturum retinere. Porrò hæc omnia mala esse quis dubitaverit?

Qui quartanâ corripiuntur, non admodùm convulsione tentantur. Quòd si priùs corripiantur & quartana succedat, liberantur, aph. 70 sect. 5. Sicut febris tertiana saluberrima habetur, ita & præsertìm quartana; eæque febres raró funestæ sunt nisi summè degeneraverint acciderintvè decrepitis senibus vel hominibus aliâ de

causâ debilitatissimis; imò quartana, teste Hippocrate, ab aliis magnis malis liberat, sicut jam suprà notavimus. Quod pertinet ad epilepsiam mediante quartanâ curandam, nihil simile unquàm me observasse fateor. Sed mihi videtur facile conciperehomines quartanâ tentatos donari fibrarum laxitate nimiâ, quàm ut convulsionibus tunc corripiantur; eâquè non solùm ratione epilepticos superveniente quartanâ liberari posse, sed & quia febrilis actio capax est diruere illius morbi causam humoralem nervis adhærentem. Propterеà de hoc eventu nullus dubito, tùm imprimis propter fidem quæ debetur Hippocrati, cui & plurimi Medici domesticis observationibus suis ducti adhæserunt post Celsum & Galenum. Mihi tamen apparet similem curationem nequaquàm accidere posse, si epilepsia penderet à vitio quodam cerebri topico, qualis v. gr. foret ossificatio falciformis processûs duræ menyngis, aut aliud quidpiam vitium ejusdem naturæ. Undè ut opinor, talis curatio spectat ad epilepticos qui ità afficiuntur propter lentam atrabiliaremquè humorum qualitatem, sicut ipsemet Galenus scripsit in commentario ad hunc aphorismum. Tunc enim valet coctio & excretio febrilis resolvere hos humores, ideòque nervos ab eorum irritatione tenaciori liberare. De cætero plures passim leguntur historiæ malorum aliorum chronicorum sæpè mirabilium quæ fugata fuerunt mediante febre quartanâ. Plures casus referuntur in commentariis Gerardi Wanswieten ad § 754, quorum duos sequentes exempli causâ hìc retulisse non displicebit. Prior respicit dolorem humeri dextri inveteratissimum quem ipse viderat superveniente quartanâ evasisse; qui dolor redierat curatâ febre per corticem Peruvianum, sed qui deindè sanatus fuit à quartanâ de novo superaccidente & patienter toleratâ. Alter casus spectat celeberrimum olim de la Hire, de quo in actis Parisinis anni 1728,

qui mediante quartanâ exantlatâ curatus eſt palpitationibus cordis moleſtiſſimis, ab illiſque deindè immunis vixit ad uſquè ſeptuageſimum-octavum ætatis ſuæ annum.

§. III.

Febres Eruptivæ.

FEBRES eruptivæ dicuntur eæ febres continuæ quarum natura talis eſt ut ſemper producant quamdam criticam eruptionem ſui generis, quâ mediante contingat ſanguinis depuratio ſingularis & neceſſaria: deindequè altera non minùs neceſſaria depuratio, veriùs appellata nomine *expulſionis*.

Non ibi examinabimus omnigenam ſpeciem eruptionum febrilium. Omittimus eas quæ nihil aliud ſunt niſi accidentale febrium phœnomenon ſymptomaticum, ut adhæreamus brevi duntaxat expoſitioni præcipuarum febrium eruptivarum quæ perennem & ſibimetipſi ſemper ſimilem criſim faciunt; quarum aliæ producuntur à ſeminio indigeno: qualis eſt porcellana, ſcarlatina, rubeola, pemphigus, &c. aliæ verò pendent à miaſmate exotico & nunquàm apud nos ſpontaneo: qualis eſt peſtis & variola.

In omnibus illis febribus eruptivis videtur adeſſe deleterium quoddam miaſma capax excitare febrilem reactionem, tandiù duraturam quandiù illud mutatum non eſt & ſeparatum. Mediante itaque reactione illâ febrili miaſma illud (ſeu ſponte gignitum ſit, ſeu inſitum per viam contagionis), ſic ſubigitur & præparatur ut deindè valeat unionem ſubire cùm aliquo humore gerente vices alicujus ut ita dixerim involucri, poſteàque critico vitæ niſu ſeparari à ſanguine, & exportari unà cùm eodem humore à quo involvitur. Quæ dùm fit prædicta miaſ-

matis eruptiva ſeparatio, notandum eſt ab unocumque ſemper affectari viam eamdem quaſi per ſelectum; quia illud unitum eſt peculiari humori viam ſibi propriam tranſgredienti & properanti ad congruum emunctorium, in quo deponitur ſecundariam aliam ſubactionem ibi paſſurum.

In his ergò febribus quibuſcumque duplex diſtinguenda eſt epocha ſpecialis. Alia nempè quæ reſpicit tempus febrilis laboris quo mediante deleterium exiſtens debet præparari ad ſeparationem & reipsâ ſeparatur: alia verò, tempus per quod eadem materies, vi febris ſeparata & criticè erupta, debet diſponi ad expulſionem & reipsâ expellitur. Quorum duorum temporum prius à ſyndenhamo congruenter vocatum eſt in variolis nomine *ſeparationis*, poſterius verò nomine *expulſionis*: quæ denominatio ſingulis perindè eruptionibus ſic congrua eſt, ut nulla congruentior.

Cùm enim in omni febre eruptivâ materies non decidat è corpore viventi per ipſammet eruptionem criticam, ſicut evenit in criticis humorum evacuationibus, ſed ea duntaxat deponatur alicubi, de novo ibidem elaboranda: abhinc ſpontè reſolvitur mediam tantummodò partem naturalis operis factam eſſe ubi eruptio ſeu ſeparatio peracta eſt, aliamque deindè partem abſolutum iri per ipſammet humoris erupti expulſionem; & conſequenter, ſicut in febribus quibuſlibet eruptivis agnoſcitur labor duplex, ita & duplicem in illis morbum agnoſcendum eſſe: primarium unum, alterum ſecundarium.

Attendatur ad quamcumque eruptionem febrilem, v. gr., ad variolas. Nonnè, ſicut eruptio puſtularum eſt vera criſis primarii laboris febrilis, ita & earum ſuppuratio (poſthàc abſolvenda) conſtituit criſim febrilis laboris ſecundi, proindèque alterum circuitum morboſum propriis ſymptomatibus ſuis deſig-

natum? Undè apparet quòd in utroque bifidi hujus morbî circuitu sit quoque distinguenda triplex epocha, sicut in aliis febribus, cruditas videlicet, coctio & crisis; quæ singulæ propriis suis signis instruantur, ex quibus liceat eruere singularum diagnosim & prognosim.

In faciendâ autem consideratione diagnosticâ febrium eruptivarum in utroque earum circuitu, sicut & in quocumque stadio circuitûs alterutrius, attendere oportet quòd, præter generalia febris signa sicut & illa quæ cuilibet eruptivæ febrî propria sunt, semper distinguendus sit character constitutionis ægroti ut & constitutionis popularis; aliquid enim semper diversum magisquè vel minùs notabile subapparet prout consstitutio datur catharralis, vel inflammatoria, vel biliosa, vel atrabiliosa, vel pituitosa: proindèque aliud quid est eruptivâ febre tentari vere vel autumno, aliudque pariter in ætate variâ. Habent siquidem diversæ aliæ febres diversam relationem cùm diversis constitutionibus & ætatibus, quæ diversorum symptomatum insolitorum capax est atque ideò diversorum pravorum eventuum. Nam, ut legitur aph. 34 sect. 2, *in morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & anni tempestati, morbus cognatus fuerit, quàm quibus in horum aliquo non cognatus fuerit.* Non aliâ de causâ, præter hanc cognationem ejusve defectum, sæpè contingit ut in morbis eruptivis effervescentibus contingant petechiæ aut hæmorrhagiæ pessimæ, & ut saltem tantoperè laboriosa sit & imperfecta separandi miasmatis eruptio, sicut & expulsio erupti: ex quibus duâbus naturæ operis bona prognosis vel mala dependet; bona nimirùm si facilè absolvantur, mala si difficulter.

His principiis generalibus delibatis de naturâ & genio febrium eruptivarum, nunc restat ut quædam exempla tyronibus expo-

nantur, ad hoc ut eorum principiorum applicatio ipsis elucescat. Ibi ergò brevis detur notitia febrium eruptivarum apud nos frequentiorum, incipiendo ab iis quæ agnoscunt miasma indigenum, prætereàque à mitioribus inter illas.

Porcellana.

Porcellana, gallicè *porcelaine*, est affectus eruptivus in quo fiunt efflorescentiæ lenticulares pollicaresve aut majoris diametri suprà thoracem & brachia aliasque partes tectas, colore roseo donatæ, vix eminentes nec pruriginosæ, magis vel minùs copiosæ, febrili motu vix percipiendo ut plurimùm productæ & facili promptâque exhalatione delendæ intrà paucos dies. Quæ efflorescentiæ verno præsertìm tempore solent enasci apud florentes & biliosos, imprimisque apud juvenes qui, ex aph. 20 sect. 3, sunt magis tunc obnoxii cutaneis affectibus.

Eæ maculæ eruptivæ diætâ tenui ac refrigerante facilè ut plurimùm tolluntur, nec ullo modo sunt periculosæ. Undè patet eas non procedere à principio valdè acri nec copioso, sed facilè regenerando si victus paulò calidior fuerit.

Quandoquè etiàm similes propemodùm maculæ efflorescunt sine febre sensibili apud quosdam homines occasione peculiarium corporum in stomacho receptorum, qualia sunt chelæ cancrorum aliave animalcula testacea. Quæ efflorescentiæ spontè evanescunt peractâ eorum assumptorum subactione, & quæ fortè non pendent nisi à punctiunculis quas stomachus experitur à tenuissimis testaceorum spinis.

Non raró quoque observantur efflorescentiæ similem formam referentes, sed parumper tumentes & variegatæ, quasi ab aculeis urticarum productæ, valdèque pruriginosæ & in apice aliquandò rubentes. Quæ, sicut præcedentes, gignuntur à materie

perſpirabili acriore, ideòque periculoſæ ſunt ſi repercutiantur: ſed quæ brevi ut plurimùm tempore ſolent deleri.

Hùc etiam licet revocare ſudamina, gallicè dicta *échauboulures*. Ea ſunt exanthemata milii granis non majora & phlictænoïdea, ſubitò in cute efflorefcentia, conferta, & ut plurimùm fugacia, quibus ſæpiùs occupantur dorſum, pectus, brachia & crura, præcipuè apud infantes & juvenes: tùm apud natu majores ſed temperie delicatâ & fervidâ donatos; & quæ verno æſtivoque tempore præ aliis accidunt, non ſine dolore cutis aliquandò ſatis acri & pungente, verùm ſine periculo.

P E T E C H I Æ.

Petechiæ ſeu peticulæ, gallicè *pourpre*, ſunt maculæ ſubrotundæ, pulicum morſibus ſimiles, coloris purpurei, quandoquè coloris lividi aut atri, ſine tumore & pruritu aliquandò apparentes in decurſu febrium continuarum. Quæ maculæ faciei ut plurimùm parcunt, maximèque aggredi ſolent dorſum, pectus, brachia & crura.

Eæ maculæ creantur à fragmentis rubri ſanguinis per febrim fortiter acti, & ad corporis peripheriam exploſis, quæ aliquandò ſunt oneratæ miaſmate quodam critico; ſed quæ ſæpiùs producuntur à febre valdè putridâ & fortiter ſæviente, vel à mitiori febre in caſu calidioris regiminis & medicationis.

Idcircò aliæ petechiæ diſtinguntur benignæ & criticæ, quæ ſcilicet erumpunt in fine febrium putridarum ideòque cùm ſignis criticis bonis, & quæ indicant naturam victricem eſſe. Aliæ verò accidentales appellandæ ſunt & merè ſymptomaticæ, quales naſcuntur tempore incrementi febrium putridarum, ſæpèque in ipſiſmet variolis & morbillis cùm labe biliosâ & putridâ concurrentibus, & quæ manifeſtò indicant magnam ſanguinis teneritudinem,

teneritudinem, naturamque ſub putrore maligno & gangrænoſo fatiſcentem.

Milium.

Milium, purpura etiam miliaris dictum, gallicè *le millet*, *le pourpre blanc*, cognoſcitur puſtulis parvulis, rubellis, milii granis formâ ſimilibus & per cutem ſparſis, quæ citò abeunt in puſtulas phlictænoïdeas ſero repletas, grano milii æquales, mox pellucidas, mox opacas; quæ febribus ſuperaccidunt tùm in earum augmento, tùm in declinatione, ſæpiùſque in priori caſu; & quæ videntur præſertìm accidere apud ægrotantes calidiori medicatione & diætâ utentes, nimiis tegumentis coopertos, coactiſque ſudoribus diffluentes, ſicut præcipuè obſervatur apud pauperes, imprimìſque apud puerperas.

Raritas veſtigiorum milii apud priſcos ſcriptores videtur indicare eos in febribus curandis ſapientiùs ſe geſſiſſe, quàm ſæpè factum eſt temporibus ab Harveïo ad nos elapſis.

Pemphigus.

Pemphigus ſeu febris pemphigoïdea, febris veſicularis Neotericorum, gallicè *fièvre véſiculaire*, eſt affectus febrilis eruptivus, in quo poſt aliquot dies efflorecunt bullæ ſeu veſiculæ magis vel minùs latæ, per cutem diſperſæ præſertìm ſuprà truncum, & ſero flavo turgidæ, aliquandò valdè numeroſæ & latæ, tùm hærentes baſi rubræ ac dolenti: & quarum pelliculæ, facilè decidentes, relinquunt poſt ſe nudas cutis plagas, dolentes, ulceroſas quibus ſuccedunt cruſtæ haud abſimiles à cruſtis ſcabioſis.

Prædictæ veſiculæ creantur à materiâ acri, ſubtili & feroſâ, vi febris exploſâ ultrà cutem ſub epidermide quam in bullas attollit, non nihil inflammando cutem ſubjectam, ſicut ali-

quandò obſervavi, ſed præſertìm tempore æſtivo, in conſtitutione bilioſâ anni 1782.

Satis dolens & longus mihi viſus eſt ille affectus in ſecundâ ſuâ ſtaſi, ſeu tempore expulſioni dicato, ſed minimè periculoſus. Rarus quidem obſervatur, ſed nequaquàm novus eſt ut aliqui putârunt. Nam, lib. 6 de morb. vulg. ſect. 1 n°. 17, memorantur febres *pemphigoïdes* dictæ, quas flatulentas latinè vocaverunt traductores ſicut & varii commentatores, hùc forſan adducti & inclinantes propter ſubtilitatem quæ in his veſiculis objicitur dùm erumpunt. Quæ febres pemphigoïdeæ, ſi non fuerunt ſufficienter deſcriptæ à veteribus, ut congruant cùm allatâ deſcriptione factâ de viſu, nihilominùs apparent ipſi valdè affines propter ſubtilitatem effluvii veſiculas elevantis, quod aëreum & flatulentum eſſe dixêrunt veteres Medici. Galenus tamen, notante Foëſio in notis ad numerum citatum lib. 1 epid., plurimique alii ſcriptores (ex Gorræo in definit. med. ad verbum *tò pemphigodes* febres), incerti manſerunt circà febres illas. Sed hæſitatio hæc forsàn exindè orta eſt, quòd rarus fuerit hic morbus in praxi eorum Medicorum, & quòd bullæ non ſint ſemper æquè frequentes, æquè latæ, æquè ſeroſæ, æquè dolentes & ulceroſæ in ſtadio ſuo ſecundo, nec ſemper æquè cruſtoſæ omnibus in ægrotis. Hæc ſaltem ita mihi apparuerunt, quantùm diſcere potui per domeſticas obſervationes. De cætero, non vidi gravia ſymptomata in hoc affectu, præter dolores prurituſque acres & incommoditatem ſqualoris purulenti, quæ diſruptis veſiculis accidunt & quæ ultrà hebdomadem unam & alteram aliquandò durare obſervavi.

Rubeola.

Rubeola, aliter vocata nomine morbillorum, gallicè *la*

rougeole, cognoſcitur papulis pulicum morſus æmulantibus, nonnihil aſperis, ſuprà totum corpus diſſeminatis, quæ in ſquammulas furfuraceas abeunt tempore expulſionis, & quarum ſeparationi ſeu eruptioni antecedit febris catharralis, cùm tuſſi valdè raucâ & ſiccâ, necnon ſternutatione frequenti, pruriginosâque lacrymatione.

Hic morbus eruptivus infantes præſertìm impetit, quandoquè adultos & his ſeniores. Ille ut plurimùm epidemicè graſſatur, tempore præſertìm verno ut & autumnali; eoque omnes fermè homines ſemel in vitâ ſuâ laborant, ſicut de variolâ notum eſt.

Singulares papulæ quibus cognoſcitur rubeola non videntur ſedere in corpore reticuloſo cutis ſicut poſteà dicemus ſedere varioloſas puſtulas, ſed in ipsâmet cute circà fines vaſculorum exhalantium, undè olim reponebantur in glandulis miliaribus dictis & merè imaginariis.

Earum eruptio peculiarem meretur deſcriptionem ſicut & expulſio. Quæ ut habeatur, attendendum eſt ad earumdem ortum & progreſſionem quouſquè diſpareant. Sic autem procedunt.

Primo die ægrotantes rigent horrentque, aut calent & frigent alternatim, inſenſibiliter febricitando ſicut ſæpè fit in catharroſis affectibus dùm incipiunt.

Secundo die febris eſt ſtabilita, hancque concomitantur ægritudo vehemens, ſitis, inappetentia, lingua alba & humida, tuſſicula ſicca & ſingulariter rauca ſonoraque, gravedo capitis & oculorum, ſomnolentia perpetua, conſtans humoris aquei ſtillicidium ex naribus oculiſque, quæ lacrymæ certiſſimum ſunt ſignum rubeolæ futuræ. Prædictis accedunt ſternutatio frequens, tumor palpebrarum paulò antè eruptionem apparens, tùm ſæpè vomitus, vel & diarrhæa quæ apud dentientes infantulos plerumquè viridis eſt.

Diei tertiæ decurſu, omnia hæc ſymptomata ſæviunt, imò & ingraveſcunt uſquè ad eruptionem, quæ die quartâ tandem contingit & abſolvitur intrà diem ſequentem.

Hâc quartâ die (quandoquè & tantùm quintâ) prodeunt ſuprà frontem & faciem maculæ parvæ, rubræ, pulicum morſibus ſimiles, numero ut & magnitudine ſenſim augeſcentes. Eæ conflantur ex parvulis papulis ſuprà cutem elevatis, quarum protuberantiam digito levi potiùs deprehendere licet quàm acie oculorum. A facie quam ſolam ſtatìm occupant, maculæ illæ propagantur ad pectus, ventrem, crura & brachia, ubi tandem conſpiciuntur latæ rubræque, nequaquàm ſuperantes cutis ſuperficiem. At notandum eſt quòd eæ maculæ in adultis calidiori regimine utentibus ſoleant primò liveſcere, deindèque nigreſcant.

Factâ eruptione, ſymptomata non perindè deliniuntur ac in variolis. Propter eà, etiamſi die quinto peracta ſit ſeparatio illa, nulluſque tunc vomitus jam ſuperſit, nihilominùs tuſſis intenditur ut & febris, tùm ſpirandi difficultas, ſimul perſeverante defluxione in oculos, ſomnolentiâque & inappetentiâ.

Die ſextâ, aut circiter, incipit expulſio. Ideòque frons & facies apreſcunt emorientibus papulis ruptâque cuticulâ; ſed in reliquo corpore ſuperſunt maculæ adhuc latiſſimæ, rubenteſque admodùm.

Septimâ die ſenſim papulæ ubiquè delentur; adeò ut die circiter octavâ evaneſcant in facie, vixquè reliquo in corpore quædam permaneant.

Die nono, maculæ evanidæ faceſcunt in farinam quamdam & ſquammulas, eoque tempore febris, difficultas ſpirandi nec non tuſſicula augeſcunt pro tempore, ſecundùm expulſionis celeritatem & complementum, magis vel minùs longo.

De cætero, quamvìs rubeolæ progressio soleat esse cònformis præcedenti descriptioni, imò & quandoquè sævior, observandum tamen est dari rubeolas aliquot benignas quæ nonnisi paucos per dies lecto accingant infantes, quæ tantùm maculis rubris sese produnt ferè sine febre & tussiculâ siccâ, & quæ brevi tempore sanantur per vim naturæ solius; quod præsertìm sporadicis rubeolis competit.

Periculumnè reprehensionis mihi fecerim, dicendo quæ mihi apparent quoad causam materialem rubeolæ? Ea mihi videtur consistere in seminio quodam subtili quod apud Europeos, aliasque multas gentes, spontè gignitur in constitutionibus præsertim sanguineis aut catharralibus, forsan occasione humoris perspirabilis retenti. Quod deleterium (mediante febre quam accendere valet in homine rubeolam minimè passo), sic subigitur & præparatur ut tandem uniatur subtilissimæ portioni cruoris, deindèque nisu critico naturæ depellatur ad cutem unà cùm humore perspirabili. Sed illud quamdam ibi stationem experiri, quià (leviter irritando cutem ut & varias ejus propagationes gutturales, laryngeas & pharyngeas), ibidem parvulas efficit stases veluti erysipelatosas ex quibus deindè expellitur mediante secundario labore; & demùm eo superato labore illud abire in miasma contagiosum, naturæque fixæ ut opinor & acerrimæ, capax eamdem omninò affectionem producere apud prædispositos, dùm ab aliis impunè accipitur, impunè quoque eliminandum unà cùm variis excrementitiis humoribus. Sequens observatio mihi videtur hanc firmare opinionem. A viginti annis in hâc urbe vidi quamdam Dominam, tunc proximè parituram, cujus septem infantes epidemicâ rubeolâ tentati erant, in quibus tractandis illa omnem curam & diligentiam suam diù noctùque adhibebat. Inter eos labores ea Domina felici partu

enixa est infantulum maculis rubeolæ omninò interstinctum, qui hoc in statu remansit sicut ordinarium est in rubeolâ, & qui hùc usque benè valens vixit omninò immunis ab hoc morbo, quamvìs plures frequentaverit eâ labe infectos. Undè judicare licet hunc fœtum rubeolam contraxisse in utero matris suæ, proindèque sanguinem maternum fuisse imbutum miasmate morbilloso, quin tamen mater illa exindè quidpiam mali experta fuerit.

Prædictis de naturâ & genio rubeolæ delibatis, facile est ejus diagnosim instituere. Quoad prognosim, satis erit dixisse hunc morbum raró exitialem esse, nisi quandò gravissimis turbatur symptomatibus & eruptio bellè non procedit; tùm quandò varii subsequuntur affectus ob defectum congruæ expulsionis.

Scarlatina.

Scarlatina, seu febris rubra aut febris scarlatina, gallicè *fiévre scarlatine*, *fiévre rouge*, est morbus febrilis pueros præsertìm infestans autumno, ut & in fine hyemis, qui sæpè nuncius est variolæ paulò posteà subsecuturæ.

Cognoscitur hic morbus eruptivus exanthematibus rubris, ad rubeolam approximantibus, sed crebrioribus latioribusque & majori rubore donatis, nec perindè uniformibus; sed quæ in squammulas farinosas abeunt sicut rubeola, & prætereà integram manuum epidermidem aliquandò evellunt, quasi serpentum exuviæ.

Talia exanthemata succedunt febri continuæ satis vehementi, secundâ aut tertiâ morbi die. Interim, dùm effervescunt, nonnulla apparent rubeolæ symptomata, qualis est tussis sicca oculorumque lacrymatio; eorumque genium tale est ut ea quandoquè bis aut ter erumpant successivè, & toties successivè evanescant.

Plerumquè hic morbus epidemicè grassatur unà cùm morbis catharralibus, imò sæpè concomitatur anginas catharrales adultorum, illeque videtur esse signum correctæ biliosæ constitutionis, simul & ineuntis inflammatoriæ.

Causa ejus materialis consistit in miasmate aliquo peculiari quod in sanguine ad inflammationem inclinante generatur, ex quo separatur & exportatur ad cutem motu febris critico, undè posthâc exhalatur. Miasma illud videtur esse contagiosum, nisi forsan congruentiùs dixerim morbum hunc eruptivum epidemicè aliquandò potiùs grassari propter generalem dispositionem hominum, quàm propter aliquam contagionem. De cætero, contagium illud non est æquè certum ac variolosum aut morbillosum, nec morbus ab eo natus funestus esse solet, nisi in casu metastasis materiæ expellendæ; tunc enim eadem ferè mala suboriuntur, ac si retrocessisset rubeolosum miasma.

His expositis de causâ & moribus frequentiorum febrium eruptivarum Nostratum, nunc agendum superest de febribus eruptivis exoticis & apud Europeos per contagionem grassantibus.

P e s t i s.

Pestis inter febres eruptivas annumeratur, quia ejus character desumitur ex bubonibus qui in eâ æquè necessariò erumpunt ac pustulæ in variolis. Nulla verò alia febris nomen pestis meretur eò quòd valdè maligna & lethalis sit; nam observârunt Medici pestibus curandis addicti, ipsammet pestem quandoquè benignam esse.

Dicimus verò pestem esse febrem eruptivam exoticam, eò quòd causa ejus tantummodò habeatur in miasmate peregrino, ab Arabibus ad nos importato. In nostrâ quidem Europâ aliquandò nascuntur febres epidemicæ (imò & sporadicæ) tàm

malignæ, ut peſtilentes dicantur propter maximam mortium crebritatem. Sed ii morbi peſtilentes nuncupati ſemper differunt à peſte propriè dictâ, in quantùm unica tantummodò peſtis ſit, deſignata ſcilicet bubonibus neceſſariò erumpentibus, dùm totidem vocantur peſtilentes morbi apud nos, quot ſunt morbi epidemici, adeò maligni, ut ægrotantes plures è medio tollantur, quàm ſani evadunt.

De miaſmate peſtifero alibi pauca dicentur ubi de inhalatione. Non ampliùs immorabimur circà morbum, quem nunquàm vidimus & quem, ut ſperamus, nunquàm ſumus viſuri. Jam ergò agamus de variolâ quæ, quamvìs exotica apud nos, nihilominùs ibi frequentiſſimè graſſatur.

Variola.

Variola ſeu variolæ, gallicè *petite vérole*, minimè cognita fuit ab antiquis. Novus morbus eſt de genere eruptivorum, qui vigentibus bellis *Croïſades* dictis, ſæculo Mahometi allatus eſt ex Aſiâ in Europam, ubi exindè variola regnavit nunquàm deſitura, quia venenum à quo pendet in ipsâmet ejus propagatione regeneratur.

Commenta varia varii ſcriptores ſomniati ſunt circà venenum varioloſum, quibus enarrandis tempus non terendum eſt. Dicimus illud eſſe quoddam virus tenuiſſimum (non tamen volatile, propter ejus adhæſionem intimam cùm humore admodùm fixo), communicatione duntaxat immediatâ contagioſum, ferèque tantùm ergà eos homines qui nondùm fuerunt eo morbo tentati. Quod virus in homine contagionis ſuſcipiendæ capaci variè pullulaſcit febrem depuratoriam excitando, cujus effectu miſcetur cùm humoribus demittendis ad cutem ubi criticè deponitur, ibidem ſecundo labore febrili mutandum, deindequè ab inc expellendum.

Falſum

Falſum eſt homines omnes naſci cùm eo veneno. Illud, ut diximus, omninò peregrinum eſt. Sed novit ipſemet vulgus omnes homines (vigeſimâ eorum parte ad ſummum exceptâ), eo morbo ſemel in vitâ ſuâ tentari; eoſque per ipſummet hunc morbum ſic purgari diſpoſitionibus quibuſvis ad eum de novo contrahendum requiſitis, ut diù dubitatum fuerit utrùm aliquis iterùm variolis laboraverit.

Tutamen continuò quæſitum adversùs hanc calamitatem haberetur in exactâ fugâ infectorum, ſi ea poſſibilis foret ſicut ergà peſtem. Sed melius ac tutius antidotum conſiſtit in ipſis variolis per inſitionem contractis. Sic cenſendum, quia ſemper morbus ille multò mitior indè generatur, illeque recidivam perindè avertit, ac variolæ per contagionem accidentalem ſuſceptæ.

Definienda videtur variola febris exanthematica ſeu eruptiva, plerumquè epidemica, ſæpè tamen ſporadica, quæ verno tempori præſertim familiaris eſt, & cujus character conſiſtit in eruptione puſtularum inflammatoriarum deindèque neceſſariò ſuppuraturarum, & æquantium unius circiter piſi magnitudinem.

Agnoſcuntur differentiæ plures. Aliæ variolæ diſcretæ vocantur, aliæ confluentes : malignæ aliæ, aliæ benignæ. Sunt diſcretæ quandò puſtulæ rariores, valdèque diſtinctæ ab invicem. Confluentes verò, ſi ita proximæ ut duæ vel tres ſimul unitæ confluant, ſaltem in facie, quæ hoc malo præſertim excruciatur. Et hæc diſtinctio ſolemnis eſt apud Medicos, propter diverſitatem ſymptomatum necnon & prognoſis, ſicut mox annotabitur. Benignæ demùm aut malignæ variolæ appellantur, ratione ſymptomatum in utrâque ſpecie ſupradictâ pejorum aut benigniorum.

Quocumque tempore anni graſſantur ſporadicæ variolæ earum-

que beneficio germen illud perenne fit; nunquàm enim desunt homines apti ad eam contagionem hìnc indè suscipiendam. Verùm quandò constitutio popularis sanguineo-inflammatoria aut saltem catharralis regnat, tunc solent variolæ grassari populariter; tuncque præ majori numero ægrotantium, sicut & propter nimiam aliquot individuorum aptitudinem, videre est plurimas malignas variolas, dùm in præcedenti casu benignæ sunt ut plurimùm.

Pari ratione, quandò viget biliosa constitutio (qualis hìc fuit æstiva & autumnalis, anno 1783), variolæ tunc grassantes benigniores existunt, sicut reipsâ accidisse Bisuntii notavimus. Quæ scilicèt variolæ eos dumtaxat oppugnabant qui peculiari de causâ erant ad inflammationem proni; dùm homines temperamento bilioso gaudentes laborabant febribus biliosis. Sed prout confirmata fuit hyems & constitutio inflammatoria generaliùs disseminata, variolæ incœperunt esse & frequentiores & minùs benignæ. Dispositionem inflammatoriam requisitam esse ad contrahendum morbum qui reipsâ est inflammatorius, & qui in suppurationem criticam terminari debet, nequaquàm mirum est. Sed facilè quoque intelligitur nimium gradum dispositionis inflammatoriæ infensum esse utrique characteri variolarum, nempè ergà earum qualitatem inflammatoriam, ut & ergà suppuratoriam. Nec aliundè accidit, ut omnis dispositio capax gignere inflammationem vulgarem spuriam noceat variolis, nisi quia metuenda est pustularum spuria inflammatio, suppuratioque spuria & gangrænosa : vel & earumdem character crudissimus, vixque suppurandus. Primus casus respicit eos ægrotos qui versùs inflammationem putridam vergunt : posterior verò eos qui tendunt ad inflammationem œdematosam. Quâ ratione etiam observavi scrophulosos semper laborare variolis pigerrimè erum-

pentibus & ſuppurantibus. His de naturâ morbi varioloſi delibatis, nunc ejus progreſſio ſermone brevi adumbranda incumbit.

Tres veluti phaſes licet diſtinguere in progreſſu morbi varioloſi 1°. præludium ſeu ebullitio; 2°. eruptio ſeu ſeparatio; 3°. ſuppuratio ſeu expulſio, quæ & exſiccationem puſtularum comprehendit. Vel ſecundùm Sydenhamum agnoſcenda ſunt duo dumtaxat tempora, ſeparationis nempè & expulſionis. Prius excurrit ab invaſione febris uſquè ad puſtularum elevationem incluſivè: poſterius, ab ipſâ ſuppuratione uſquè ad finem morbi. Diſtinctio Sydenhami ſanè quidem medica eſt; ſed mihi apparet faciliùs vobis diſtinguenda eſſe ſymptomata, ſi variolas conſideraveritis ſub aſpectu triplicis epochæ mox aſſignatæ.

Præludii ſeu ebullitionis ſymptomata hæc ſunt; nempè laſſitudines, febris, dolor capitis ſomnolentus, lumbago, vomituritio, imò quandòque in infantibus convulſiones, ſed quæ non ſunt ominoſæ. Hæc ſymptomata vigent per tres dies, aut ferè ad quatuor: eaque futuras præſertim variolas indicant ſi talis morbus graſſetur, nec ægrotans unquàm eo morbo laboraverit.

Eruptio puſtularum ſeu altera varioloſi morbi epocha, ſpectari poteſt tanquàm ejus criſis prima, quandòquidem illa invehit ſeparationem principii morbiferi. Ea inchoatur abeunte ut plurimùm die tertio, quo tempore cutis omninò eryſipelatoſa videtur ſi futuræ ſint copioſæ puſtulæ; dùm in caſu contrario, ea ex albo variegata apparet. Eruptio complectitur tres dies. Primâ die facies præprimìs occupatur: ſecundâ, truncus: tertiâ, extremitates. Eâ mediante credimus varioloſum miaſma pauco ſanguini critico admixtum deponi in reticulo cutaneo ſub epidermide, (non parcendo internæ ductus cibarii), quandoquè & hìnc indè factis malignis eruptionibus in ſuperficie

viſcerum. Dùm hæc fiunt, ſolent ægrotantes habere alvum adſtrictam, ſi variolæ diſcretæ fuerint; ſed in confluentibus eruptio ſolet ſtipari magno ptyaliſmo apud adultos : diarrhæâ autem apud infantes.

Prout procedit eruptio, (& prout competit non ſolùm pepaſmo ſed & criſi jamjam inchoatæ), ſolent ſymptomata omnia miteſcere. Adeò ut in benignis variolis febris omninò deſinat eruptione abſolutâ; dùm in malignis pauliſper dumtaxat tunc ut plurimùm relaxatur.

Erumpentes puſtulæ apparent ſub formâ punctiuncularum rubrarum & pyramidalium quæ ſunt veriſſima inchoamenta totidem parvularum veluti phlegmonum criticarum : eæque ſenſim inflammantur & augeſcunt uſquè ad diem ſeptimum, computando ab invaſione. Per id tempus, dolor interim fauces infeſtat, illeque augetur unà cùm puſtulis grandeſcentibus, quæ tunc incipiunt albeſcere circà apicem, dùm baſis & intervalla earum tinguntur colore roſeo. Et hic eſt terminus perfectæ ſeparationis, in quâ licet conſpicari proxima diſpoſitio ad futuram ſuppurationem.

Suppuratio itaque, ſeu tertia epocha variolarum incipit ab eruptione peractâ, ſeptimo circiter die morbi totius; primùm in facie, ſicut eruptio : deindè in trunco : poſteà in artubus; & tunc facies ut & artus mirabiliter intumeſcunt, alioquì peſſimum ſignum foret. Suppuratio ita procedens abſolvitur ſpatio trium dierum ſi diſcreta & benigna variola ſit, tuncque faciei tumor ſenſim recedere incipit, decimo nimirùm die vel undecimo. Sed ſuppuratio tardior eſt ut & faciei detumeſcentia in variolis confluentibus, in quibus labor ſuppurationis ſæpè ad vigeſimum uſquè diem prorogatur.

Dùm fit puſtularum ſuppuratio, eæ magis magiſque albeſcunt

pedetentim, ſenſim ſimul exſurgente veſiculâ liquore diaphano & ſubrufo repletâ, quæ die nono vel undecimo pus verum jam continet in genere diſcreto: tardiùs in confluente. Interim, prout pure replentur puſtulæ, baſis earum inflammata tenſa & tumens albeſcit ſenſim ac tandem reſolvitur, eaque detumeſcit ubi ſuppuratio peracta eſt; primò nempè in facie, deindè in artubus, in quibus prædicta intumeſcentia diutiùs manere ſolet quàm alibi. Quæ phœnomena ſuppurationis vigent cùm febre majori, ſicut proprium eſt unicuique ſuppurationi copioſiori; & durat hæc febris uſquè ad puſtularum exſiccationem.

Itaquè exſiccatio ſeu ultima expulſionis pars, (quæ & pro quartâ epochâ variolarum ſpectari poſſet), ſtipatur febre multò minori, quandoquè nullâ. Illa incipit ſtatim ab abſolutâ ſuppuratione, decimò ſcilicet vel undecimo die in variolis benignis: tardiùs in malignis. Ut naturale eſt, ea primò apparet in puſtulis primùm ſuppuratis, videlicet in facie (quæ hoc tempore ſicut in aliis, habenda eſt pro variolæ thermometro); eaque decimo-quarto die terminatur, ſic ut ſæpiùs puſtulæ faciei jam hoc die funditùs pereant, dùm puſtulæ manuum ſuaptè pertinaciores, albæ adhuc & recentes manent per unum alterumve diem, nec anteà rumpuntur. Ita procedente exſiccatione generali puſtularum, urinæ purulento copioſo ſedimento refertæ ſunt, & aperitur alvus hucuſquè ut plurimùm dura, interimquè prædicta exſiccatio ſæpiùs fit abſquè puris effluvio ſenſibili & quidem utiliter; ſed quandò res aliter ſe habet, ſolet febris diutiùs ſævire, majuſque impendet foveolarum vultûs periculum. Tandem verò elapſis ſquammis cruſtoſis ſiccatarum puſtularum, remanent aliquandiù maculæ rubræ quæ ut plurimùm elevatæ ſunt ſi nullæ ſucceſſuræ ſint foveolæ; ſed ſi planæ fuerint, foveolas relinquunt magis vel minùs numeroſas & notabiles.

Benignæ variolæ, seu discretæ seu confluentes, procedere solent cùm signis suprà memoratis, eæque tunc satis feliciter terminantur dicunturque regulares. Sed si eæ malignæ fuerint, alia signa & quidem pejora caput extollunt. Primò quidem sæpè contingit post variolas copiosiores ut varii decubitus, (iique aliquandò multiplices) enascantur variis in partibus ex residuo pure varioloso, quo in casu adest non raro febris magna & inflammatoria. Sed pejora adhuc mala oriuntur ab ipso tempore ebullitionis, nempè delirium, eruptio nimis præcox & tumultuosa, petechiæ malignæ, hæmorrhagia per nares aut pulmones, mictus cruentus, urinæ suppressio, diarrhæa in genere discreto, cessatio ptyalismi in confluentibus, nigrescentia pustularum, tùm earumdem terribilis delitescentia quæ mortem plerumquè citissimam accersit, vel & quandoquè tardiùs supervenientem. Hoc ultimum observavi anno 1783, in fine hyemis, apud juniorem puellam septennem cujus historia hìc fortè non displicebit. Nempè duodecimo die morbi, quo jam valdè progressa erat pustularum suppuratio, pustulæ omnes momento citiùs evanidæ factæ sunt & funditùs deletæ, adeò ut cutis omninò plana remanserit, eaque duntaxat ex albo & flavo variegata. Insuper, facies simul planè detumuit unà cùm artubus, & illicò incœpit copiosissimus fluxus urinarum turbidularum, incredibiliter fœtentium. Tùm primis subindè diebus repentinæ factæ sunt collectiones metastatici puris ferè circà omnes artuum conjunctiones, haud mutato colore cutis: sed sæviente febre maximâ, doloribusque acerrimis. Quamvìs ii recessus purulenti quantociùs aperti fuerint, nihilominùs evenit ut omnia & singula ossa articulationum sic affectarum, consumpta & erosa fuerint à sphacelo carioso ac nigerrimo; adeò ut quotiès exerceretur vel levis motus artuum (etiam per simplicem eorum

transpositionem manu custodum factam) , totiès membra illa penitùs luxarentur. Quod mirum , irritis tot malis non periit misella , nisi sexagesimo die horrendi hujus morbi !

Quod pertinet ad prognosim variolarum sanè illa admodùm ominosa est, præsertìm quandò epidemicæ sunt, tùm imprimìs apud adultos; imò adhuc periculosior apud divites & urbanos, propter causas ex eorum vivendi ratione desumptas. Secundùm æstimationem observatorum comperitur septimam circiter partem ægrotorum hoc morbo perire, quæ maxima quidem est calamitas. Notavitque Sydenhamus majorem eorum numerum interire octavâ die in variolis discretis, undecimo in confluentibus. In primo casu , plerumquè mors debetur delitescentiæ, ex quâ oriuntur deliria & agitationes enormes , à quibus mors accersitur paucissimarum horarum spatio; in secundo autem, videtur mors procedere ex suppuratis pustulis interioribus; undè sæpiùs ægrotans derepentè emigrat ad plures , eo instanti quo amici ejus jam de salute futurâ minùs sunt solliciti.

Cùm igitur tàm exitiales sint variolæ vulgares, dolendum est quòd non ubiquè accepta sit earum insitio , quandoquidem vix perit millesimus eorum qui hâc arte variolis laborant. Succedit præsertìm hæc praxis in infantibus sanis ad minimum triennibus, & qui emolliente tantùm victu præparati fuerunt per aliquot duntaxat hebdomades , si roseus color vultûs eorum indicaverit eos inclinare versùs inflammationem, quantùm saltem inclinare possunt; si verò pallidi viderentur , paululùmque vergentes ad constitutionem cachecticam, tunc forent leviter purgandi paulò anteà , tùm nonnihil alterandi mediante victu euchymo & anticachectico. Melior enim actualis sanitatis conditio ad subeundam variolarum insitionem mihi videtur esse media inter inflammatoriam & pituitosam. Qui autem forent

exactè pituitosi, non contraherent variolas nisi frigidiores, difficiliùsque proindè expellendas: dùm è contrà variolis atrocioribus corriperentur, qui essent donati sanguineo temperamento calidiore, præsertìm si insertio iis fieret tempore verno.

Quia autem ab ipso Medicinæ limine bonum est novisse praxim hominum generi adeò utilem, operæprecium est hìc tradere quomodò in eâ procedendum sit. Porrò inter varias methodos variolas inserendi præstat illa quæ Suttoniana dicitur. Ea consistit in levibus puncturis intrà cutem & epidermidem factis ope lanceolæ leviter intinctæ pure varioloso, quantùm fieri potest recenti. Summa hujus acûs pars intruditur horizontaliter sub epidermide, ad usquè unam lineam cùm dimidiâ, propè musculi deltoïdis insertionem, tuncque ibi movetur leviter, quasi sub cuticulâ eam detergere foret intentio; lanceolâ deindè eductâ, juvat puncturam aliquantisper fricari mediante pollice, ad hoc ut virus exactiùs incutiatur. Idem pungendi processus bis, imò & ter repetitur in quolibet brachio, totidem usurpatis lanceolis diversis similiter venenatis: ita ut tres illæ puncturæ contineantur spatio pollicis unius quadrati in loco indicato brachii utriusque. Vixque una sanguinis guttula exstillat, si puncturæ debito modo inflictæ fuerint: nec ullo ligamento opus est.

Non remanet cujusvis puncturæ vestigium sensibile post duodecim circiter horas: imò nec tardiùs videretur ullum, si illæ irritæ futuræ forent. Sed si virus contractum fuit, paulò post apparet levis macula rubra cui brevì succedit pustula acuminata, in apice suo albida, subrubra verò ad basim. Subindè, circà hanc pustulam sensim nascitur sensibilis inflammatoria rubedo parvulam ibi phlegmonem creatura, cujus ope ibidem stabilitur localis aliqua irritatio, quæ ad hanc imprimìs partem

allicit

allicit impetum veneni erupturi & posteà expellendi.

His ita se habentibus, tandem superveuit rigor febrilis septimo vel octavo die revoluto post insitionem, & succedit febris continua magno capitis dolore stipata, quæ exacerbatur calore lecti, mitigatur verò liberaliori in aurâ.

Tertiâ demùm die post febris invasionem, erumpunt variolæ pustulæ, facili plerùmque calculo numerandæ aut saltem valdè benignæ (quandòque tamen, sed raró admodùm, malignæ & confluentes); quâ eruptione ut variolis mos est contingente, absolvitur virûs inditi ac reproducti critica separatio.

Deindè separatum illud virus jam excoquendum est in pustulis suppurantibus, ejusque posthâc expulsio critica requirit cautelas easdem ac in variolis vulgaribus; sed hâc cum differentiâ, quòd quantitas materiei variolosæ per insitionem creatæ, minorem plerumquè laborem postulet. De cætero, illud variolosum pus, quantumvis febrefactum in officinâ tàm benignâ & beneficâ, perindè contagiosum est ac pus variolæ vulgaris, illudque pariter aptum ad insertiones in infinitum successivè multiplicandas.

Olim factitabatur hæc insitio mediante vulnusculo cutis necnon & textûs cellulosi, in quo introducebatur unum & alterum filum sex vel octo lineas longum, & tabo varioloso imbutum. Sed merito jure antiquata est damnanda hæc praxis; quandoquidem non solùm maxima oriri queunt mala propter irritationem sauciatæ & inflammatæ cutis, (utpotè quæ sensu fruatur exquisitissimo): sed & propter irritationem ipsius textûs cellulosi, pariter & vulnerati & inflammati; qui quantumvis videatur sensu carere in animantibus vivis dùm sanus est, nihilominùs capax sit maximæ irritationis dùm inflammatur; proindèque aptus ad strages exitialiores excitandas. Hoc miserâ plurimarum victimarum sorte plus quàm satis comprobatum manet.

VARIOLA VOLATILIS DICTA.

FEBRIUM eruptivarum adumbrandarum finem faciemus, pauca hìc dicendo de volatili variolâ propter nominis convenientiam, quamvìs quoad rem maxima interſit diverſitas. Nempè variola volatilis dicta, aut fatua, gallicè *vérolette*, *petite vérole volante*, ſunt puſtulæ craſſiora milii grana mole æquantes, quandòque & multò majores, eæque albæ & ſero turgidæ. Eæ in vultu præſertim erumpunt intrà viginti-quatuor horas, præcedente quodam pruritu ſimul & aliquo febrili paroxiſmo horarum duodecim, quindecimve aut viginti; quo ceſſato inſultu, nulla alia febris plerumquè recurrit, Sic eruptæ puſtulæ prædictæ rumpuntur elapſis triginta-octo vel quadraginta horis poſt eruptionem; eæque ſubindè in ſquammulas farinoſas citò faceſcunt.

Cauſa variolæ volatilis eſt virus quoddam omninò indigenum & ſpontaneum, quod tamen contagioſum eſt, & quod in ſuperficie cutanei reticuli criticè deponitur; ſed illud eſt nimìs benignum ut ibi creet inflammationem, quâ mediante magìs coquatur & involvatur: illudque deindè facilè expellitur. Undè aliqua tantùm quoad ſedem puſtularum affinitas habetur inter variolas volatiles & veram variolam.

Diſcrepantia præſertim maxima eſt inter utraſque, quòd à variolâ volatili nihil timendum impendeat niſi, fortè defectû expulſionis perfectæ, quædam accidentia ſuperveniant, ut fit aliquandò: eaque pectori imprimìs inimica.



